DICTIONARIUM
SACRORUM RITUUM

Ex optimis quibuſque, qui Sacram Liturgiam illuſtrarunt Auctoribus

A. P. JOANNE BARTHOLOMÆO COLTI

In Inſigni Eccleſia Cathedrali Piſtorienſi Chori Magiſtro depromptum

Atque

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D. D.


FRIDERICO ALAMANNI

EPISCOPO PISTORIENSI AC PRATENSI

Dicatum

PARS PRIMA.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE



PISTORII MDCCLXXII.

EXCUD. ATTHO BRACALI EPISC. TYPOG.

Superiorum permiſſu.

Jerem. Proph. 48. 10

Maledictus homo, qui facit Opus Domini fraudulenter, *ideſt*, negligenter, *ut explicat* Conc. Trident. ſeſſ. 22. *Si enim quodcumque opus Dei negligenter factum, ſuper facientem inducit maledictionem, cujus maledictionis reus erit, qui opus Dei maximum, quale eſt in Eccleſia tremendum Miſſę Sacrificium negligenter conficit? Omnes nos igitur (Sacrorum Rituum legibus, earumque elucubrationibus haud neglectis) Sancta ſanctè pertractare ſummoperè ſtudeamus.*

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRÆSUL

CUm primùm ; ILLUSTRISSIME , AC REVERENDISSIME PRÆSUL , *de hoc edendo Hierolexicon cogitavi , nil mihi de eo decoris , authoritatis , aut aliorum approbationis polliceri poſſe arbitratus ſum , niſi primam ſui frontem , tui ſplendore Nominis illuſtratam gereret , tuiſque ſub auſpiciis prodiret in lucem : Non enim me latet quantopere ſtudeas ut Eccleſię decus ſervetur , Clerique Divinis ritè perſolvendis Officiis cultus in dies augeatur ; Quantàque inſuper polleas in ipſum authoritate ; qui jure quidem meritò in tua fidelitate , vigilantiaque ſui ipſius lubens repoſuit curam , in tuto eſſe intelligens univerſa , quę tuę creduntur fidei , & ſollicitudini commendantur . Tibi igitur ſe primùm ſiſtat Liturgicum*

hoc Dictionarium , tuique Nominis inſcriptione inſignitum , decus ſibi , atque authoritatem ſentiat adjunctam . Tuque , OPTIME PRÆSUL , *tuis ipſum Epiſcopalibus Typis excuſum , ſub tui etiam Nominis auſpiciis in lucem prodire permittas : Quaque ſoles benignitate addictiſſimi tibi animi in teſtimonium excipias rogo te , atque obteſtor quàm poſſum officioſiſſime . Exile cernis munuſculum , ſed ampliſſimum qui offert geſtat cor : & munera tui digna lubentiſſimè quidem retribueret , ſi id præſtare haberet in poteſtate . Eja igitur ,* PRÆSTANTISSIME PRÆSUL , *hoc excipe , quodcumque ſit mei erga te gratiſſimi animi teſtimonium , pro tot , crebriſque acceptis a te beneſiciis , dum ſtudiorum curriculum agerem , dumque per omnes gradus , numquam , tua erga me immeritiſſimum benignitate , retroactis greſſibus , aut retardatis , ad Sacerdotii Dignitatem , apprehenſa veluti manu , Paſtorali me ſollicitudine traheres . Deus Optimus Maximus incolumem te nobis interea quàm diutiſſimè ſervet .*

Dom. V. Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Humillimus , Addictiſſimuſquè Servus
JOAN. BARTHOLOMÆUS COLTI

PRÆ-

PRÆFATIO

E Tsì plurimos demirari arbitror, quid mihi animi ſit, quod de re Liturgica agere ſim ego his temporibus auſus, cum tot, tantiſque jam traditis præclariſſimorum virorum monumentis, nihil prorſus Sacrorum Rituum legibus explicandis animadvertendum ſuperſit, dubiiſque locis univerſis ſatis ſit, ſuperque conſultum, ut ne minimus quidem ſit ultrà ambigendi locus: Quandoquidem tamen nec mihi animus, nec vires ſuppetunt meę, ut numeris omnibus abſolutiſſimis tot Auctorum Commentariis aut perutile quidquam, aut ſcitu dignum adiiciam, ſed brevitati tantum, ac plurimorum conſulens commodo, atque utilitati, ea omnia paucis in Dictionario meo coagmentare propoſuerim, quę ab iis, qui de re Liturgica egerunt ampliſſimis Commentariis explicantur; ab excogitato opere minimè recedendum putavi, haud improbandum ratus, quod plurimis ſit profuturum. Enim verò quot nam ſunt in Eccleſiaſtici Ordinis cętu, quibus ampliſſima illa propriis Ædibus pręſto ſint Commentariorum Volumina, quę tot Scriptores plęclariſſimi (quorum authoritatibus univerſa a nobis tradita neceſſario jure fuerunt comprobanda) ad Liturgiam illuſtrandam ediderunt? Mihi quidem, ut vera fatear, pleroſque monumentis hiſce omnibus deſtitutos eſſe compertum eſt. Pauci namque ſunt, qui ea ſibi comparare poſſint, pauciores qui velint, pauciſſimi tandem, qui licet, & poſſent, & vellent, vix animus foret, aut ſuppeteret otium evolvendi. Atque his pręſertim de cauſis (bona illorum pace, quibus Eccleſiæ decus, rerumque Di-

Divinarum cultus cordi eſt, adeoque ea, qua par eſt Sacris ſervandis Ritibus peritià, diligentiàque pollent) hiſce, inquam, prȩſertim de cauſis plurimi in Divinis Officiis perſolvendis irrepſerunt abuſus, & Sacrȩ ut plurimum ignorantur Cȩremoniȩ, quȩ in Sacrorum Rituum legibus prȩſcriptȩ ſunt, & ab iis, qui illas explanandas ſuſceperunt, luculentius ponuntur ob oculos. Ecquid igitur hac in re cogitandum? Ergonè Liturgiæ intelligentia paucis tantummodo ex eis competet, qui Eccleſiaſticæ Hierarchiȩ adſcripti ſunt, dum lex peragendi Sacra, ac Divina perſolvendi Officia ȩque obſtringit univerſos? Ego equidem pro certo ſtatuendum puto, neminem in Eccleſiaſtici Ordinis cȩtu muneris adeo eſſe immemorem ſui, ut Sacrorum Rituum leges ſibi revera prȩſcriptas eſſe vertat in dubium. Quapropter & illorum commoditati, qui aliis diſtenti ſtudiis ampliſſima Liturgicorum evolvendi volumina nec tempus habent, nec animum, eorumquè Liturgiȩ addiſcendȩ ſtudio, ac neceſſitati, qui ad volumina illa ſibi comparanda, magnis detenti impenſis, numquam vertunt animum conſulere quodammodo arbitratus ſum, ſi breviter ex Scriptorum illorum, qui in rei Liturgicæ explanatione prȩeminent Commentariis, ſubſtantiam omnem perexiguo hoc volumine, ordine (quo nullus alius utilior in praxi) Alphabetico comprehenſam traderem. Vos igitur oro, obteſtorque, qui prȩclariſſimis quibuſque Scriptorum monumentis circumſulti, atque in Sacris Ritibus ſatis eſtis, ſuperquè verſati, ne hoc, quodcumquè ſit, ſpernatis opus, quod etſi parum utile futurum vobis ſit, aliis tamen plurimis maximam, mihi ſuadeo, rebus Liturgicis ad praxim revocandis utilitatem, com-

commoditatemque eſſe pariturum. Et quemadmodum rudis homo, & vitæ commodis deſtitutus, etſi viliſſimos quoſque cibos corpori enutriendo adhibere vix poſſit, optimam tamen ex illis perfecta cum valetudine, vegetationem æquè trahit, ac nobiliores illi, qui exquiſitiſſimis ſibi quotidie appoſitis implentur dapibus; Ita ſane, qui mentibus in Sacrorum Rituum notione paſcendis, prælaudatorum Scriptorum Operibus quavis de cauſa carent; ex hoc unico Operum illorum Breviario, ſat ſibi, ut arbitror, polliceri poſſunt emolumenti, quo in Sacris complendis Eccleſiæ Officiis, æque exacti, ac illi ſe præbeant, qui magna Rubriciſtarum evolventes volumina, innumeras proſequuntur Auctorum opiniones, ac dubiis paſſim, exagitatiſque Quæſtionibus implicantur. Atque utinam hujuſcemodi, qui ex Dictionario hoc expectandi procul dubio eſſent effectus, non defraudentur inſufficientia mea, quam ſibi ſemper ponant ob oculos Lectores, precor, ut ea æquo ferre poſſint animo, quæ rudiori ut plurimum expreſſa ſtylo, eam, qua pollent ipſi, elegantiam, & ſcribendi artem labefactare fortaſsè, aut certè afficere poſſet injuria. Nil me tamen ex proprio ſenſu allaturum ſciant, ſed ex præclariſſimis quibuſque omnia me excerpſiſſe Authoribus, dignis ſanè, quibus maxima tribuatur authoritas, ut traditas ab ipſis Sacrorum Rituum elucubrationes, ſibi quiſquè ſervandas ponat ob oculos, quò Dei cultus, & Eccleſiæ decus Sacris ritè muneribus obeundis magis eluceat.

Ab-

Digitized by Google

DICTIONARII SACRORUM RITUUM

PARS PRIMA

QUÆ RUBRICAS MISSALIS COMPLECTITUR.

A B

ABbas exemptus non eſt nominandus in Canone, licet habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, nulluſque præterea Cleri ſęcularis ſuperior, cujus dignitas ſit Epiſcopali inferior.

Abbas Collegiatę exemptę (niſi celebret) non eſt thurificandus ante Canonicum Cathedralis, ſi adſit cum Epiſcopo; Si autem celebret pontificaliter coram Epiſcopo triplici ductu thurificari debet ante ipſum Epiſcopum.

Abbates quando ſunt plures, & habent Clerum diſtinctum, debent in proceſſionibus incedere unuſquiſque cum ſuo Clero ex Decr. S. R. C.

Digitized by Google

Abbates non genufleƈtunt in Choro ad Confeſſionem; atque ipſis competit etiam in Miſſa tit. Reverendiſſimi a petentibus Benediƈtionem cum Incenſum ponunt in thuribulo.

Abbates, & alii Regularium ſuperiores poſſunt ex privilegio benedicere veſtes Sacerdotales; non tamen Paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubditarum ex Decr. S. R. C. Sacerdotes autem ſimplices nullo modo proprias veſtes benedicere poſſunt, *ex Navar. conſ. 2. de Conſecr. Eccl.* neque Prothonotarii ex Decr. S. R. C.

Abbates, & alii Regularium ſnperiores habentes privilegium benedicendi Veſtes ſacras, & Cœmeteria, ac ſimilia, diƈto privilegio uti poſſunt nonniſi in his rebus, in quibus ſacra unƈtio non adhibetur, & pro ſervitio dumtaxat Monaſteriorum, & propriarum Eccleſiarum, ex Decr. S. R. C.

Abbates, quando Pontificaliter celebrant, non ducunt Stolam in modum Crucis ante peƈtus, quia tunc ſolum ex Altari ſumere poſſunt veſtes, & parvam ante peƈtus ad inſtar Epiſcopi geſtare Crucem.

A. B. C. D. E. quinque Literæ quibus indicatur quomodo celebranda ſit Miſſa. Hoc eſt: Altè, Breviter, Clarè, Devotè, & Exaƈtè; *Altè*, ut audiatur. *Breviter* non ultra mediam horam. *Clarè* ut omnia verba integrè proferantur. *Devotè* ut attendatur ad ea, quę dicuntur. *Exaƈtè* ut fiant omnia, quæ præſcribuntur in Rubricis.

Ablutio digitorum in Miſſa cum Vino facienda eſt *S. Thom. part.* 3. *quæſt.* 83. Aqua autem poſt Vinum eſt adhibenda, ne purificatorium maculas Vini nimium contrahat, & humilitatem ſignificat. *Innoc. III. Lib.* 6. *Cap.* 8. Non tamen ſumebatur

hæc

hæc ablutio, ſed in locum mundum proiiciebatur, *ex Durand. cap.* 55. nunc autem ſumitur, & hæc in medio Altaris.

Ablutio digitorum Sacerdotis poſt peractam Fidelium Communionem ſumenda eſſet, verum univerſalis uſus ipſam in ſacrarium immittendi non eſt damnandus. Hæc autem digitorum ablutio facienda eſt reconditâ Pyxide in Tabernaculo, (ut magis congruum videtur multis), atque ultimo loco Benedictio denique danda eſt.

Abſolutio Mortuorum eſt Oratio ſolemnis, quæ fit poſt Miſſam circa defuncti Cadaver, vel ſuper Tumulum abſente Cadavere, hujus orationis antiquus eſt uſus Teſte *S. Dionyſ. de Eccl. Hier. & Victor. Uticen. Lib.* 2. *de perſec. Wandal.* Nunc dicitur Abſolutio ab Oratione *Abſolve*, quæ communiter dicitur, & *ex Marcelli Cęremon. Papali Lib.* 2. *Cap.* 35. dicenda eſt etiam in Abſolutione Prælatorum, addito dignitatis titulo, quam habebat defunctus, nomini ejuſdem. Deficiente Pluviali Celebrans maneat in Alba, & Stola ducta ante pectus in modum Crucis, ſine Manipulo, quem etiam Miniſtri deponant. *Cęrem. Ep.* Subdiaconus defert Crucem ut in Proceſſionibus, medius inter duos Ceroferarios, & ſiſtit ſe ad pedes Tumuli, ſeu Cadaveris, ita ut ſit inter Eccleſiæ Portam, & Tumulum, & Crucifixi Imago Celebrantem reſpiciat manentem inter Altare, & Tumulum ipſum aliquantulum tamen verſus cornu Epiſtolæ, ita ut Crucem Subdiaconi reſpiciat. Sed *V.Cadaver*. Aqua benedicta aſpergi debet Cadaver, ſeu Tumulus non ad tollenda peccata venialia, ſed (*ut docet Durand cap.* 35.) ut omnis immundorum ſpirituum pręſentia arceatur. Incenſationeſque pari-

riter ad eoſdem expellendos fiunt, *ex Innoc. III. Lib. 2. de Myſt. Miſ.* & *ex Boletho Cap.* 161. ad pellendum malum odorem defunctorum; Denique, ut oſtendatur, quod defunctus Deo obtulit ſe in odorem bonorum operum; Seu quod defunctis proſit oratio, quæ eſt veluti Incenſum *ex Pſalmo* 140. Licet autem de Incenſi, quo immediatè adolentur Defuncti benedictione dubitatum ſit, in Miſſali tamen recognito apertè jubetur hęc benedictio his verbis; *Benedicens illud more ſolito*. Quod triplici fundamento decretum eſt. Primo auctoritate *Cęrem. Pap. Lib.* 1. *ſect.* 15. *Cap.* 1. ubi expreſsè jubetur benedici Incenſum pro adolendis Defunctis, & adduntur verba. *Ab illo benedicaris*. Deinde *ex Innoc. III.* incenſatio hæc fit præcipuè ad expellendos Demones, quæ ratio connotat benedictionem Thuris, & Thuribuli *ex Durand. Lib.* 2. *de Rit. Cap.* 9. Demum non aqua ſimplici, ſed benedicta Defunctos aſpergimus; ergo etiam Thure benedicto erunt incenſandi. Celebrans dum procedit ad aſpergendum, ſeu Thurificandum Tumulum, illum circumeat per latus ejus dexterum facta prius Altari reverentia ter aſpergens, ſeu Thurificans latus ipſum dexterum, ſcilicet in capite, in medio, & in pede; atque eodem ritu aſpergat, & Thurificet ſiniſtrum latus, ejuſdem Tumuli profundè Cruci Subdiaconi ſe inclinans, cum ante ipſam tranſit. Oratio *Abſolve* dicenda eſt junctis manibus, brevique concluſione. *Per Chriſtum &c.* & quamvis Abſolutio fiat prò uno tantum, dicitur in fine *Requieſcant in pace*. *Gavant. Part.* 2. *Tit.* 13. niſi tamen addendum ſit *Anima ejus, & Animæ omnium &c.* preſente Cadavere, tunc enim dicendum eſt *Requie-*

quie-

quieſcat in pace , ex Ritual. Si elevetur SS. Sacramentum dum fit Abſolutio , licet Tonellius , & Quarti doceant Celebrantem cum Miniſtris debere genuflectere , adherendum potius videtur *Gavanto* , qui contrariam tuetur ſententiam , ne ſacra interrumpatur actio , præſertim ſi tunc temporis aſpergendum , vel incenſandum ſit Feretrum . In Antiphona *Non intres in Judicium* , (quæ ſemper dicenda eſt prçſente Cadavere) etiamſi Defunctus ſit Fœmina , vel ſint plures , non dicitur , *cum famula tua* , vel *cum ſervis tuis* , ſed ſemper *cum ſervo tuo* ; ex Decr. S. R. C. In Die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ſi ſoleat Sacerdos circuire ſepulcra, ultima Abſolutio facienda erit ad lecticam Mortuorum cum ℟ *Libera me* , & oratio *Abſolve* in numero plurali , conclusione breviori . Ad alia vero ſepulcra diſtribui poſſunt Reſponſoria Nocturnorum , addito ſingulis ℣ *Requiem &c.* & fiat aſperſio , & incenſatio ter , ſcilicet in medio , a dextris , & a ſiniſtris , (quo ritu aſpergi , & incenſari debet quandocumque fiunt Abſolutiones deficiente Tumulo) Orationes vero eliciuntur ex Miſſali pro pluribus , omiſſis ſecretis , ℣ *Requiem &c.* non dicitur a Celebrante poſt orationem niſi in ultima Abſolutione ad Tumulum .

Abſtemii non debent ſine vino Purificare Calicem , Papa inconſulto ; *Ex Romana Praxi* .

Acolyti : latinè *Ceroferarii* , pares eſſe debent ſtatura , ut æqualia in motu ſint Candelabra . Ferant autem eadem illi ita , ut qui a parte dextera incedit , apponat dexteram nodo Candelabri medio, ſiniſtram pedi ejuſdem ; & qui a ſiniſtra incedit , è converſo ſiniſtram nodo , dexteram pedi . Sedere

ipſi non debent ad Epiſtolam; & quando ſedent una cum Celebrante, ſedeant ſuper Altaris gradu in cornu Epiſtolæ facie verſa ad Celebrantem, non ad Populum. *Gavant. Part.* 1. *Tit.* 17.

Acolytus ſi in caſu neceſſitatis exerceat in Miſſa officium Subdiaconi, ei tradi poteſt Patena tenenda; nam in Eccleſia Romana id actum aliquando fuiſſe, etiam extra caſum neceſſitatis *Meratus* teſtatur.

Actio a Walfridio, & aliis dicitur Canon Miſſæ, quia in eo Dominica Sacramenta conficiuntur. Atque hac de cauſa in oratione *Communicantes* Titulus apponitur: *Infra actionem*, ſeu meliùs (ut ex M. S. codicibus apparet) *Intra actionem*, quia nimirum Actio Sacrificii ibi propriè continetur.

Adoratio Crucis *V. lit.* F. *Fer. 6. in Paraſc.*

Adventus, tempus nempè deſignatum ante Feſtum Nativitatis Domini, nimirum tres hebdomadæ, integræ, & quarta non integra, ut explicat *Durand. lib.* 3. *cap.* 2. quæ pręcedunt ipſum Natalis Feſtum. *Gavantus* adherens *Durando* ipſum S. Petrum Adventum per quatuor hebdomadas, ut ſupra inſtituiſſe tradit, ſed nullo hæc opinio ſolido innititur fundamento; Certum eſt tamen omni ævo dies quoſdam prępárationi ad Natale Domini fuiſſe deſtinatos, nullum autem veſtigium apparet, quo horum dierum numerus ex quo Adventus primis illis temporibus conſtabat ſtatuatur. Olim hoc Adventus tempore Jejunabat Eccleſia *ex Durand. Lib 6. Cap.* 1. *De Adv.* Atque Jejunium hoc a S. Perpetuo Turonen. Epiſc. inſtitutum fuiſſe tradit *Gregor. Turonen. Lib. Hiſt.* 10. *cap.* 31. Atque adeo dicebatur etiam tempus hoc Quadrageſima ante Natalem Domini; quia revera an-

antiquitus quadraginta diebus conſtabat ; ab illa enim die incipiebat, quæ S. Martini ſequitur feſtum; quæ res occaſionem dedit hilaritati, cujus adhuc in omnibus ferè regionibus aliquod veſtigium apparet, eodem fermè modo, ac fer. 3. ante Cinerum diem; quia S. Martini poſtrema erat, qua Carnes liceret comedere , & quia ſequenti die jejunium incipiebat. Hujuſce Temporis Ritus partim lætitiæ eſt, partim mæroris , ut obſervat *Gavantus*. Nam dicitur *Alleluja* ſed non dicitur *Hymn. Angel.* nec *Te Deum*; non utuntur Miniſtri Altaris *Dalmatica* , *& Tunic.* ſed *Planetis plicatis* coloris violacei etiam in illis Dominicis, quę infra octavam alicujus Feſti occurrunt ; adeoque omnia Altaria, etiam Tabernaculum SS. Sacram. iis diebus debent ex preſcripto S. R. C. eſſe parata colore violaceo, teſte *Bauldry Part.* 4 *Cap.* 1. *num.* 1. *& Caſtald. Lib.* 3. *Cap.* 3. qui addit, quod ſuper Altare, & inter Candelabra vaſcula cum floribus, & ſimilia ornamenta ſolemnia Dominicis, & Feriis Adventus adhiberi non debent, excepta tamen tertia Dominica, quæ lętiorem ornatum requirit, & Diaconus, & Subdiaconus ad Miſſam hujus Dominicę utuntur Dalmaticâ , & Tunicellâ. In Miſſis autem, quę dicuntur in Feriis de Adventu omittitur *Alleluja cum* ℣ *ſeq.* & dicitur tantum *Graduale*, quia Feriæ Adventus ſunt quaſi Vigilię ſummæ Feſtivitatis Natalis Domini ; nam olim , ut diximus, in iis Jejunium ſervabatur. Ritus denique, qui in Eccleſia occidentali in Adventu ſervatur, partim lætitiæ dici poteſt, & partim mероris , quia duplicem ipſa Eccleſia eo tempore Chriſti adventum commemorat , primum jam ſecutum , quando idem Dei

Filius in Mundum viſibili Carne indutus ingreſſus eſt, ut homines Divino Patri Prętioſiſſimo ſuo ſanguine reconciliaret, atque a Peccati ſervitute redimeret, & lætitiæ eſt. Alterum futurum cum idem Chriſtus cauſam Æterni Patris acturus, in ſua veri hominis forma glorioſa apparebit, in qua Deo ſimilior ſit, cujus formę exhibitione ſimul & bonis ſecuritatem, & malis terrorem afferat, & *Mæroris* eſt.

Agenda. Sic Miſſa dicta eſt in Concilio Carthag. ſub Cœleſtino Papa. Anaſtaſius etiam Bibliothecarius in Leone II. inquit: *ne Mauri Epiſcopi Agenda celebraretur*. Quod nomen paſſim legitur in antiphonario S. Gregorii, & in aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis, pręſertim ubi tractant de officio Mortuorum.

Agnus Dei: dicitur in Miſſa: *ex liturgia S. Petri* & Sergium Pap. (quem omnes faciunt auctorem) ſtatuiſſe potius putandum eſt, ut, ſicuti *in Liturgia S. Petri* ſemel dicebatur, ita deinde ter diceretur. In fine dicebatur ter *miſerere nobis*. Sed Joannes XXII., ut dicitur, ad impetrandam fidelibus pacem ſchiſmaque tollendum, cæteras inter quas in Eccleſia inſtituit preces, ſtatuit ut in tertio *Agnus Dei* diceretur *dona nobis pacem*. Eccleſia tamen Lateranenſis, tamquam antiquior, ad memoriam antiquitatis conſervandam, tribus vicibus dicit *miſerere nobis*, quam conſuetudinem omnes in ea Eccleſia celebrantes obſervant. Sacerdos dum dicit: *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi*: ſtare debet junctis manibus ante pectus, non autem ſuper Altare, inclinatus verſus Sacramentum: dicendo autem primò *miſerere nobis*: diſiungere debet manus, dextera percutiens ſibi

pe-

pectus, ſiniſtra ſuper corporale poſita, deinde non jungit manus, ſed in dicendo ſecundò, & tertiò *Agnus Dei*, percutit ſibi pectus, ſiniſtra ſuper Corporale perſeverante. In Miſſis Defunctorum omittitur percuſſio pectoris: & manus interim ante pectus junctę tenentur, non impoſitę Altari.

Alba, quæ Tunica linea, *ab Ivone*, Camiſia *ab Amalar*. Linea Dalmatica *ab Ordine Rom.* & Poderis tandem *a Nazianz.* dicitur a Græca voce *Podos*, quę *Pedes* Latinè ſonat, quia revera hæc veſtis ad pedes demittitur. Significat pręcipuè Caſtitatem totius vitę, & loricam Juſtitię *ex Gemma*. Munditiam Animę, & Corporis, *ex Hugone Vict.* Summam Juſtitiam; *ex Raban*. Fidem denique, & Innocentiam *ex S. Thom.*

Alleluja: vox Hebręa, quę gaudium exprimit, & dicitur in Miſſa poſt Graduale, quia, ut ait *Rupert. lib.* 1. *cap.* 35. poſt luctum lętitia ſequitur. *S. German. in Theoria* explicat: *Al*, venit: *el*; Deus: *uja* laudate. Ex *Auguſt in Pſ.* 118. ſignificat: *Laudate Dominum*: *Ex Hieronymo*: Cantate laudem Domino: Et ab eodem S. Hieronymo (*ut docet S. Gregor.*) de Hieroſolymitana Eccleſia translata fuit ad Romanam Damaſi juſſu, qui inſtituit, ut caneretur etiam extra tempus Paſchale; Propter ſanctiorem igitur auctoritatem in aliam linguam transferri non debet. *Ite Miſſa eſt* cum duplici *Alleluja* dicitur infra octavam Paſchę, non autem in Miſſis, quę pro publica Eccleſię cauſa, ſeu in Paramentis Violaceis, (*puta Litaniarum majorum*) fortè cantari debent, neque, *ex Gavanto*, in Miſſa quacumque votiva ſolemni pro re gravi; In qua Miſſa votiva *ex Bauldry*, *Gavant*, *Halden.* & *Corſet.* neque Graduale dici debet, ſed tan-

tantum duo *Alleluja* . Toto tempore Paſchali in Miſſis tam feſtivis, qnam votivis, additur in fine Introiti ante Pſalmum duplex *Alleluja* . Unum item in fine Offertorii, & unum ad Communionem, niſi poſitum ibi jam ſit tunc enim nullum aliud eſt addendum. Graduale hoc tempore non dicitur, ſed tantum duo ℣. ℣. cum quatuor *Alleluja* . ℣. *Panem de Cœlo &c.* additur *Alleluja* in tota octava Corp. Chr. & temp. Paſch. ex Decr. S. R. C. , Cum denique hęc vox *Alleluja* lętitiam ſignificet. audienda non eſt in diebus męroris, & triſtitię, adeoque non dicitur tempore inter Septuageſimam, & Sabbatum Sanctum intercępto, neque in feriis Adventus, Quatuor Temporibus, & Vigiliis, quę Jejunantur: exceptis Vigilia Nativitatis Domini, ſi venerit in Dominica, & Vigilia Paſchę, ac Pentecoſtes, ac Quatuor Temporibus Pentecoſtes. In Feſto SS. Innocentium non dicitur propter plorationem Rachel, quę in figura pręceſſit luctus Matris noſtrę Sanctę Eccleſię: *Burchard* . Aut quia tempus erat, quo tunc ad Inferni clauſtra deſcendebant paſſi. *Alcuin.*

Alma Redemptoris: protrahenda non eſt, ſi contingat transferri Feſtum Purificationis B. M. ſed die ſecunda Februarii poſt Completorium, illà dimiſsà ſumenda eſt Ant. *Ave Regina Cœlorum*, ex Decr. S. R. C. 11. Jan. 1681.

Altare: ab altitudine *a Feſto, & aliis* dictum quaſi ſit alta ara: *ex Walfrid. cap.* 5. vel alta res *ex Gemma*. Vel ab alendo: quia igni Altaris addebatur alimentum. *Iſidor lib.* 15. *Origen. cap.* 4. Syxtus II. decrevit, ut Miſſa non fiat, niſi in Altari, & ſignificat Menſam Domini *ex Amalar lib.* 1. *cap.* 24.: Crucem *ex Bern. de Cœna Dom.*, & Chriſtum, per quem ſacrificia acceptantur a Deo:

ex

ex Gemma lib. 1. ideò preeminet in Eccleſia , ut Chriſtus inter membra ejus *ex Rupert. lib.* 5. *cap.* 30. Gradus illius virtutes ſunt , quibus ad Chriſtum itur ex *Hugon. Vict.* Communis fert eruditorum opinio , primis Eccleſię temporibus Altaria fuiſſe lignea; at Card. Bona antiquiſſimis illis temporibus , tam ligneas, quam lapideas aras uſitatas fuiſſe tradit, prout rerum, locorumque opportunitas ferebat. *Gavantus*, & alii a S. Silveſtro PP. ſancitum exiſtimant, ut Altaria lapidea eſſent, neque liceret alicui Miſſam in Ara lignea celebrare. Et quamvis de hujus decreti veritate dubitari poſſit , plurimis tamen Conciliorum Decretis , & auctoritatibus , Altaria lapidea eſſe debere comprobatur. Et Simeon Theſſalonicenſis de Templo apud Bevereg Not. in Pandect. rationem affert his verbis: *E lapide autem eſt Altare, quia Chriſtum refert, qui etiam Petra nominatur, tamquam fundamentum noſtrum, & caput anguli, & lapis angularis; & quia petra, quæ olim Iſraelem pavit hujus menſæ imago fuit.*

Altare ab Epiſcopo eſt conſecrandum, duratque Conſecratio uſque ad amotionem Tabulę, vel fractionem quomodocumque ſigilli reliquiarum Sanctorum , quę una cum ſancto Chriſmate , pinguedinis gratię ſymbolo , ſunt de ſubſtantia conſecrationis, atque illud eſt mirandum , *quod in Prato Spirituali legitur cap.* 4. & 10. dari a Deo Angelum Cuſtodem Altari conſecrato . Si verò ſub Altari, vel ſub ejus gradibus humata ſint Cadavera Defunctorum, non debet in eo celebrari donec alio transferantur. *Congr. Card. ſuper Notitia Epiſc.* 10. *Nov.* 1599. Nullę Coronides ligneę circa Altaris angulos ducantur , ſed potius faſciæ

apponi poterunt ex auro, vel ſerico elaboratę *Cęrem. Epiſc. lib. 1. cap. 12.* Pallio item pars Altaris anterior ornetur coloris Officio convenientis; Niſi ipſa Altaris facies auro, vel lapide prætioſo exornata ſit, quod tunc etiam ſine pallio in tali Altari Celebrari poterit. Nihil preterea omninò ſuper Altare ponatur, quod ad ſacrificium, aut ſaltem ad Altaris ornatum non ſpectet. Cancellos, qui circumſtant Altaria, Presbyteri tantum, & Clerici ingrediantur: neque ullo modo ibi ſęculares, maximè dum divina Myſteria celebrantur admitti debent, idque ſępe Patres admonent, & Apoſtolica Decreta præſcribunt.

Altaria olim ut plurimum erant ad Orientem, plurimas hujus rei Cauſas afferri poſſent, ſed omnium inſtar illa ſit, quam tradit *Gavantus*. Ex traditione Apoſtolorum orandum eſt ad Orientem; quod congruum videtur *Io. Thomaſio*, ut admonerentur homines; Eccleſiam veluti è nocte, ac tenebris Veteris Teſtamenti, in lucem, diemque fęderis Novi emerſiſſe per prędicationem Evangelii de Chriſto; vel, *ex Auctore quæſt. ad Antiochum*, ut fideles in amiſſam exoptatam Patriam, Paradiſum, quem Deus plantavit ad Orientem, precantes intuerentur. Hujuſmodi tamen Altaria intelligenda non ſunt *ex Rubrica* ad Orientalem Plagam realem, ſed imaginariam: appellat ſiquidem Rubrica Altare ad Orientem illud, in quo celebrans non ſolum Crucem, ſed etiam Populum habet ante faciem ſuam. *Gavant.* & alii. Adeoque dicturus *Dominus vobiſcum*, *Orate Fratres &c.* non vertit humeros ad Altare, ſed cum jam habeat faciem ad Populum converſam, oſculato Altari junctis manibus, & ſtatim expanſis abſque alio mo-

tu

cu ſalutat Populum, benedicit, &c. Horum Altarium plura ſervantur exempla in Baſilicis Urbis Romę; atque hic Piſtorii unicum hujuſmodi ſervabatur Altare in Eccleſia Spiritui Sancto dicata, in medio Chori collocatum, ſed paucis ab hinc annis ſublatum fuit, novumque ei aliorum more ſubſtitutum. Ubi ex diſpenſatione Apoſtolica non ſunt reliquiæ Sanctorum in Altari, omitti debent verba: *Quorum reliquiæ hic ſunt*; eoque caſu Oſculum Altaris fieri debet ad ea: *Indulgere digneris* Hieron. Cantonus, *in ord. div. Off.* In privatis cubiculis regularium prohibetur erectio Altaris, in quo Miſſa celebretur ſub quocumque prętextu S. R. C. approbante etiam *Innoc. XIII.*

Altare unicum primis Eccleſię ſęculis in ſingulis Eccleſiis erigebatur; plures tamen Miſſas unoquoque die in eo celebrare fas erat *ait Mabillon*. A ſęculo autem quarto plurium Altarium uſum in una, eademque Baſilica repetendum eſſe in Occidentali Eccleſia *S. Ambroſii* teſtimonio comprobatur

Altare portatile ligneum cum Ara lapidea permitti debet non obſtante Conſtitutione Synodali; dummodò habeat ſolitum reliquiarum repoſitorium S. R. C. 10. *Nov.* 1612.

Altare ligneum ſi quis voluerit ędificare in ſua Cappella, non indiget facultate S. R. C., dummodo Altare ligneum cum ſacro lapide parieti colligatum amovibile non ſit, & Altaris portatilis imaginem non pręſeferat. S. R. C. 3. *Dec.* 166.

Altare Privilegiatum: ratione hujus non licet exponere ſuper Januam Eccleſię Tabellam cum Inſcriptione: *Indulgentia pro Mortuis* S. R. C. Quod autem attinet ad Miſſas in Altari Privilegiato celebrandas pro Defunctis. Vide *Miſſa pro Defunct.*

Am-

Ambo: Vide *Pulpitum*.

Amen: Vox *Hebræa*, quæ ſignificat *fiat* vel *ex Orig.* verum eſt. In precationibus uſurpata eſt Apoſtolorum tempore tam a Grecis quàm a Latinis, ut ex Apoſtolo colligitur 1. *Cor.* 14. *Biſſus* aſſerit dici *Amen* in fine Orationum ex Decreto *Anacleti Papæ.* Verum id predicto Anacleto confirmante, non verò primum ſtatuente: nam de hujus vocis uſu poſt Orationem loquitur Apoſtolus 1. *ad Corinth. cap.* 14.

Amictus; ab amiciendo dicitur, etiam Anabolagium, Ambolagium, & Humerale *ab Honorio in Gem.*, quia humeros tegit. Antiquitus vigebat uſus accipiendi amictum poſt Albam, ut colligitur ex Ordine Romano *a Mabillon*. vulgato; nunc autem induitur ante omnem aliam veſtem. Sacerdos ſibi amictum imponens oſculari eum debet in medio ubi Crux efformata eſt, deindè non debet eum immediatè inducere ſuper Collum, ſed prius ſupra Caput, & eo poſtea Collaria circumtegere. *Ex Rubric.*

Ampulle, quas Amulas vocat *Ord. Rom.* nam Amula eſt vas, in quo vinum offertur *Durand. lib.* 1. erant quidem argentee, nunc autem vitree jubentur in Rubrica, nè contingat error in Calice, ſed faciliùs vinum ab aqua in vaſe illo diaphano dignoſcatur.

Anniverſarium Electionis, ſeu Conſecrationis Epiſcopi dicebatur Natalis dies Epiſcopi ex *S. Ambrog.* Etiam apud antiquos vigebat iſta conſuetudo, ut anniverſaria dies Conſecrationis Epiſcopi annua celebritate recoleretur. Nam etiam S. Auguſtinus eum a ſe celebrari annuum ordinationis diem aſſerit. Si hec anniverſaria dies venerit in die aliquo feſtivo de præcepto celebrabitur Miſſa de Feſto

cum

cum Paramentis eidem convenientibus, & cum commemoratione pro Epiſcopo ſub unica concluſione *juxt. Cærem. Epiſc.* quæ commemoratio facienda eſt etiam ſi feſtum fuerit primæ Claſſis, quia Oratio hęc pro Epiſcopo non modò eſt pro publica cauſa, ſed cadit etiam ſub pręcepto (ex Decr. enim S. R. C. *Commemorationes pro publica cauſa fieri non debent in feſtis primæ Claſſis*.) Si Epiſcopus ipſe celebret, dicat in oratione: *me indignum famulum tuum, quem huic Eccleſiæ &c.*

Annulus aureus datur Epiſcopo ad honorem (*ut ait Iſidor.*) & ſignificationem, quod Eccleſię ſuę ſponſus eſt. Nil ſculptum eſſe debet in Gemma *ex Durand.* ut Deum ipſum in Annulo venerentur Epiſcopi. Extra Miſſam, in digito indice manus dextrę regulariter defertur *ex Gavant.* ſed in Miſſa Pontificali jubetur Epiſcopus geſtare annulum in digito annulari dextrę manus *Cęrem. Epiſc. lib. 1.* Notandum cum *Biſſo*, quod non ſolum Epiſcopo datur annulus cum Gemma deferendus in Miſſa, ſed etiam Abbatibus habentibus uſum Pontificalium. Alii caveant, nè umquam annulum geſtent in Miſſa, qui expreſsè prohibitus fuit a S. R. C. Prothonotariis non participantibus, quibuſcumque Doctoribus, & item Canonicis Cathedralium Eccleſiarum, quorum nomine hac in re intelliguntur etiam Dignitates ſive ſint, ſive non ſint de gremio Capituli.

Annunciatio B. M. V. ſi incidat in Dominica privilegiata, tranſeratur in Feriam ſecundam immediatè ſequentem, dummodo impedita non ſit feſto majoris ritus: ſi in Hebdomada Majori, vel Paſchali, transferatur in Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, ex Decr. S. R. C. ſi vero incidat in feriam 2. 3. 4. & 5. majoris

Heb-

Hebdomadæ, ſervandum eſt prȩceptum vacandi ab operibus ſervilibus, & audiendi Miſſam, & protrahitur Feſtum quo ad recitationem Officii tantùm. Quod ſi Feſtum Annunciationis Prædictum occurrat in Feria V. Maj. Hebd. a S. R. C. annuente etiam SS. D. N. Clemente XI. 27. Sept. 1716. prȩſcribitur, quod ab Ordinariis locorum accuratè provideatur, ut aliquæ Miſſȩ privatæ ante Miſſam ſolemnem celebrentur, ut faciliùs adimpleri poſſit præceptum à Fidelibus audiendi Sacrum. (*Idem dicendum occurrente Feſto* S. Joſephi, *vel alio aliquo Feſto de precepto in aliqua Diæceſi, ut optimè advertit* Handel *part.* 1. *Tit.* 20.)

Aqua benedicta a SS. Apoſtolis originem ducit, & præſertim a S. Matthȩo, qui *ex Marſilio Columna* hujus benedictionis auctor fuit. Sal, cum quo miſcenda eſt aqua *ex Clem. lib.* 8. *Conſtitut. cap.* 29. ante aquam ipſam benedicitur, quia benedicenda eſt cum ejus mixtione, & quia per ſal intelligitur amaritudo pȩnitentiȩ, per aquam verò Gratia ſanctificans, & emundans Animam ſive in Baptiſmo, ſive in Sacramento Pœnitentiæ. Cum ergò pœnitentia, ſeu cordis contritio debeat prȩcedere Baptiſmum, & ſimpliciter abſolutionem Sacerdotis, qua per Gratiam ſit peccatorum remiſſio, meritò benedictio ſalis prȩmittitur benedictioni aquȩ, quȩ ſalis mixtione poſtea benedicitur *Quarti ex Durand.* Alexander autem I. Papa ritum hunc decreto confirmavit. *Clem. lib.* 8. *Conſtit. Cap.* 29. de aquȩ benedictione loquitur, ac de ejus virtute ad morbos pellendos, & demones fugandos. *Ex S. Thom.* deleantur etiam Venialia. Atque illud eſt prȩcipuum in hoc ritu; quod ſicut in ingreſſu Eccleſiȩ aſpergimur ſtatim aqua benedicta; ita mun-

mundari a Deo tacitè petimus, ut majori cum puritate vel ſacrificemus, vel oremus: & præſertim Clerus hoc intendere debet juxta illud *Iſajæ* 42. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Numquam omittitur in Dominicis aſperſio aquæ benedictæ, in memoriam Baptiſmi, qui ſolemniter in Dom. Paſch. celebratur. *Rup. lib. 6.* circa quam obligationem extat apud *Burchardum Vormacenſ. lib. 2. cap. 12.* Canon antiquiſſimum Concilii Nannetenſis, in quo præſcribitur, ut = *Omnibus Dominicis unuſquiſque Presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum Solemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, tanto Myſterio convenienti, de qua Populus intrans Eccleſiam aſpergatur*. = Ex quibus apparet quod non tantum fieri debet aſperſio ex hac aqua, ſed etiam nova Benedictio quolibet die Dominico; contra malam conſuetudinem nonnullarum Eccleſiarum, etiam Cathedralium, in quibus utique fit aſperſio, ſed ex aqua jam præcedentibus diebus benedicta, quod eſt contrà ritum preſcribentem hanc renovationem aquæ Benedictæ ad evitandam facilem ejus corruptionem, & commixtionem cum ſordibus. Hæc autem Benedictio, & Aſperſio fit poſt Tertiam ab eo qui Miſſam Solemnem eſt Celebraturus cum Pluviali coloris officio convenientis ſuper Albam, & Stolam in modum Crucis ſupra pectus ductam ſine Manipulo, vel deficiente Pluviali in ſola Alba, & Stola; Miniſtri ſi adſint cum Dalmatica, & Tunicella, vel plicatis Planetis pro diverſitate temporis, ſine Manipulis. Sacerdos igitur ad faciendam aquæ benedictæ aſperſionem procedens, medius inter Miniſtros Sacros genuflectit cum ipſis utroque genu ſuper

infimum gradum Altaris etiam tempore Paſchali. Acolytus verò cum vaſe aquę Benedictę, & Aſperſorio genuflectit in plano a dextris Diaconi. *Biſſus*. Diaconus autem accepto Aſperſorio ab Acolyto, illud tradit Celebranti cum oſculo Aſperſorii, in ima parte Manubrii, & deinde dexterę Celebrantis in parte exteriori. *Bauldry*. Tunc Celebrans manens genuflexus intonat Antiphonam *Aſperg. me*, vel *Vidi aquam* temp. Paſch. quam Cantores proſequuntur; & dum Celebrans intonat Antiph. ter aſpergit Altare, primò in medio, deindè verſus cornu Evangelii, & denique verſus cornu Epiſtolæ; Aſpergit poſtea ſeipſum ſignans Aſperſorio frontem ſuam: mox ſurgit, & aſpergit Miniſtros Sacros, primò quidem Diaconum, poſtea Subdiaconum adhuc genuflexos, qui deindè pariter ſurgunt, *Bauldry*, *Biſſus*, *atque alii*. Celebrans indè reddit Diacono Aſperſorium, & facta Altari, & Cruci debita reverentia procedit medius inter Miniſtros, elevantes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis, ad partem illam Chori, ubi eſt dignior de Clero prędecente Cęremoniario cum Acolyto deferente vas aquę cum Aſperſorio; ibique facta ab omnibus debita inclinatione Clero illius partis, ubi eſt dignior, Diaconus tradit Aſperſorium Celebranti, qui accedens ad digniorem de Choro, ipſum ſtatim ſalutat cum pari inclinatione ante, & poſt, & ſeparatim aſpergit; reliquos poſtea de Choro unica inclinatione ſalutat, & eos aſpergit, vel quaſi in circulum, vel ſingillatim pro Eccleſiarum conſuetudine. *Biſſus*, cum quo convenit etiam *Gavantus*, cenſet, quod Canonici debeant ſingillatim aſpergi juxtà

De-

Decret. S. R. C. 20. *Dec.* 1601. in quo hęc habentur . *Aquę benedictæ aſperſio in Dominicis fieri debet ſingillatim quibuſcumque Dignitatibus, & Canonicis, ...non vero uno ictu in circulum*. Poſt aſperſionem Cleri proſequitur Celebrans aſpergere Populum, vel procedendo per principalem Navem, vel in aditu Chori, ſi eſt ante Altare, vel juxtà Cancellos Presbyterii aſpergendo illuc confluentes, idque videtur convenientius pręſertim ſi Celebrans ſit in aliqua dignitate conſtitutus. Quando autem aſpergit Populum, hoc facit triplici ictu, ſcilicet in medio, a dextris, & a ſiniſtris. Colligitur etiam *ex Nicolao de Bralion* quod Celebrans in tota aſperſione manum ſiniſtram tenere debet ſupra pectus. Dum autem fit aſperſio Cleri, & Populi Celebrans cum Miniſtris dicit alternatim ſubmiſſa voce totam Ant. *Aſperg.* vel *Vidi aquam*, & totum Pſ. *Miſerere*, quę Antiphonę dici debent integrę ante Pſalmum etiam ſi officium diei non ſit duplex, *Nicol. de Bralion*. Notandum quod ſi adſit Epiſcopus, qui Miſsę aſſiſtat, aut alii Pręlati in locis ſuę Juriſdictionis, aut Cardinalis ubique Terrarum, Aſperſo Altari, ſolus Celebrans comitatus a Cęremoniario, & Acolyto cum aqua Benedicta (remanentibus Miniſtris Sacris ad Altare genuflexis) accedit ad Epiſcopum, cui facta profunda reverentia, & genuflexione a Comitibus ſuis, Aſperſorium oſculatum cum debita reverentia, & oſculo manus porrigit; Ipſe verò Epiſcopus primò ſeipſum (*in fronte*) deinde Sacerdotem Celebrantem, poſtea aſſiſtentes, & Solii Miniſtros aſpergit, & ſtatim eidem Celebranti reddit Aſperſorium, qui primùm manum Epiſco-

ſcopi, deinde illud oſculatur, & factâ eidem Epiſcopo profunda inclinatione, & genuflexione a ſuis ſupradictis Miniſtris, cum eiſdem revertitur ad Altare, factiſque debitis reverentiis aſpergit Miniſtros Sacros adhuc genuflexos, qui ſtatim ſurgunt, & procedunt cum Celebrante ad aſpergendum in Choro, ut ſupra. Reverſus demum ad Altare Celebrans aſpergit Acolytos, Ceroferarios, & ipſum Miniſtrum de vaſe, facta prius Altari debita reverentia; quo facto reddit Aſperſorium Diacono, & medius inter Sacros Miniſtros ſtat ante infimum Altaris gradum junctis manibus. *Biſſus*. Et cum *Antiphonę* Cantus in Choro expletus fuerit, dicit Celebrans in Cantu ℣ *Oſtende*, & *Orationem* junctis manibus, Librum hinc inde apertum Sacris Miniſtris tenentibus. His completis non convenit, quod Celebrans ante Altare adjuvantibus Diacono, & Subdiacono Pluviale deponat, & Manipulum, ac Planetam pro Miſſa celebranda accipiat, ut fit in aliquibus Eccleſiis abuſivè, Soli enim Epiſcopi ante Altare ſacris Paramentis induuntur. ſed facta reverentia Altari, debet Celebrans cum Miniſtris ſe recipere verſus cornu Epiſtolę, vel retrò Altare, ſi parieti non adhereat, ibique a Cęremoniario, & aliquo Acolyto: adjuvari, & interim Miniſtri ſacri ſuos Manipulos accipiunt.

Aqua miſcenda eſt cum Vino in Calice ex antiquiſſima Eccleſię præſcriptione, atque ex ſacrorum Conciliorum Sanctionibus, & SS. Patrum Doctrinis colligitur Ritum hunc juxtà Chriſti Domini inſtitutionem eſſe. Iiſdemque auctoritatibus Aquarii Hęretici, ſeu Hydroparaſtę confutantur, qui ſola aqua utuntur in Myſteriis,

i-

itemque Armeni, qui ſolum Vinum adhibent, quoſque ſemper damnavit Eccleſia. Vinum autem aquæ quantitatem excedere debet, imò ex Conciliorum prꝯſcriptionibus, & Univerſalis Eccleſię conſuetudine paucule ex ea in Calice apponi debent guttulę, ne forte nimia aquę quantitate vinum corrumpatur, & ſpeciem amittat, quo in caſu valdè dubia eſſet conſecratio. Monachi Cartuſienſes, & Eccleſię fere omnes in Germania optimè utuntur parvo cocleari, ut tutiùs immittant nonniſi parvam aquę quantitatem in Calice. Qui ritus prꝯſcribitur etiam in ordinario Manachorum Burſteldenſium, *Martene de antiq. Monac. Ritibus*. Gręci bis aquam in Calicem infundunt, ſemel frigidam ante Conſecrationem cum in protheſi ſancta dona pręparant, pungente Sacerdote panem ſancta Lancea, & dicente: *Unus militum lancea latus ejus aperuit, ſtatimquè exivit ſanguis, & aqua*; & Diacono infundente vinum, & aquam. Deinde Calidam poſt Conſecrationem, immediatè ante Communionem, petente Diacono a Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo verò benedicente his verbis: *Benedictus fervor Sanctorum tuorum jugiter, nunc, & ſemper, & in ſęcula ſęculorum. Amen*. Tum Diaconus infundit aquam calidam in Calicem dicens: *Fervor Fidei plenus Spiritu Sancto. Amen*. Scriptores Gręci rationem reddunt hujus ſecundæ mixtionis aquę, dicentes, fieri hęc tum quia aqua calida è latere Chriſti exivit, tum quia per eam fervorem Sancti Spiritus intelligi volunt. Atque hunc Ritum [*ait Card. Bona*] pręſcribunt in ſuis Liturgiis SS. Patres *Baſilius*, & *Chryſoſtomus*, uſiquè per-

petuo Orientalis Eccleſię Sacerdotes doctrina, & ſanctitate conſpicui comprobarunt.

Aqua, in qua Corporalia, & Purificatoria abluta ſunt, decet, (ut ſentiunt *Ludovicus a S. Joan. Quarti*, & *Paſqualigus*) ut in peculiarem Piſcinam, quę *Sacrarium* appellatur debeat proiici; At, ex dictorum Auctorum ſententia nullum peccatum eſt, ſecluſo contemptu, eam extra ſacrarium in locum decentem proiicere. Venia tamen tantorum virorum. Ordini Romano potius adherendum eſſe videtur, in quo præſcribitur, quod: *Ubi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidem debet aliud lavari; ſed ipſa aqua in Baptiſterium debet vergi.*

Ara lapidea, ſic dicta ab ariditate ex igne *ex Servio*; vel ab ardore, quod in ea ardebant Sacrificia *ex Gemma*, vel demum a precatione; *Ara* enim Grecè *precatio* ſonat Latinè. Hęc lapidea eſſe debet, ab Epiſcopo conſecrata, atque in Altari inſerta ita tamen, ut emineat aliquantulum, ut ejus limites a Sacerdote facilè dignoſci poſſint: Conſecratio enim Hoſtię, & Calicis ſuper ipſam neceſſario facienda eſt; tam ampla ergo eſſe debet, ut Hoſtiam cum Calice commode capiat. Quod ſi lapis iſte talis haberi poſſit, ut totam Altaris Menſam efformet, perfectius quidem reſpondebit Rubricę, ſed cum rarò admodum hujuſmodi Altaria commodè ab Epiſcopis Conſecrari poſſint, Aram ipſam lapideam amplitudinis ſuprà pręſcriptę, dummodo ab Epiſcopo conſecrata ſit, ſufficere certum eſt; *ex Rubrica*.

Archiadiaconus, qui Baculum Epiſcopi ſubſtinet, thurificandus eſt poſt Diaconum aſſiſtentem S. R. C.

A-

Arundo pro tribus Candelis in Sab. S. *V. Sabbatum Sanctum* .

Aſcenſio D. N. J. C. Solemnitas ab Apoſtolis inſtituta *ex S. Auguſtini Ep.* 54. Extinguitur Cereus Paſchalis poſt Evangelium ad repreſentandum Chriſti diſceſſum ab Apoſtolis . Habet Octavam , de qua *Radulp. prop.* 19. Miſſa diei Feſti , & Dominicę infra Octavam habetur *in Antiph. & Sacram. Gregor.*

Aſſiſtens Sacerdos Epiſcopo licet non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt ante Archidiaconum aſſiſtentem a dextris ; licet Archidiaconus ſit prima Dignitas *S. R. C.* 23. *Jun.* 1607.

Aſſiſtentes Epiſcopo, licet minus digni, prę feruntur omnibus aliis ; & ante Dignitates thurificantur. *S. R. C.* 23. *Mai.* 1703.

Azymi uſum non præcepit Chriſtus in Conſecratione Euchariſtię, licet pro certo habendum ſit in ultima Cœna non alio pane , quam Azymo uſum fuiſſe, prout in diebus azymorum Lex vetus prę cipiebat, & in eo Corporis ſui Sacramentum admirabile inſtituiſſe . Prę ceptum tamen ſuper hoc extat Eccleſiaſticum, prę ſcribens Latinis Sacerdotibus uſum azymi, Grę cis verò uſum fermentati , ut liquet *ex Decr. Eug. IV. in Conc. Flor.* Variæ autem ab auctoribus quęſtiones inſtitutę ſunt de uſu azymi, & fermentati in Eccleſia Latina ; ſunt namque qui fermentati uſum probare conati ſunt in ea octingentis, & amplius annis viguiſſe. *Card.* autem *Bona lib.* 1. *rer. Liturg.* ſtatuit uſum azymorum in Eccleſiis Occidentalibus ubique receptam fuiſſe prope finem noni Sęculi, a temporibus vero Apoſtolorum uſque ad prędictum tempus promiſcuum fuiſſe uſum azymi

mi panis , ac fermentati . Idemque *Bona* adherere videtur *Arcudio qui lib.* 3. *de Sacram.* cap. 3. ait : *Apoſtolos veriſimile eſſe pro varietate locorum Gentium, & temporum, modò azymo, modò fermentato uſos fuiſſe , & conſecraſſe Panem illum , qualem in domibus Fidelium reperiebant, ſive azymum , ſive fermentatum* . Quamvis autem pleręque Orientales Eccleſię utantur pane fermentato , (cui *Syri* , & *Neſtoriani* addunt ſalis micam , & ſtillam olei) attamen nonnullę Latinorum conſuetudinem imitantur . Sic *Armeni* ab antiquiſsimis temporibus azymo pane uſi ſunt . *Maronitæ* etiam pręter Cęterorum morem Euchariſtiam in azymo pane conficiunt. Utrum autem Latini peregrinantes per Regiones Grecorum eorumdem Ritum ſervare debeant *in fermentato* , & è contrà Greci tranſeuntes per loca Latinorum debeant horum ritui ſe accomodare *in azymo*: eſt dubium quod diſceptatur a Doctoribus . Sed proprię Eccleſiæ Ritum videtur potius ſemper , & ubique ſervandum . Et hoc quidem Gręci Sacerdotes pręſtant; qui rigorosè adeò ſuum Ritum ſervant , ut non ſolum peregrini , ſed etiam incolę in Alma Urbe, quando accedunt ad celebrandum in Romanis Baſilicis , aliiſque Eccleſiis , ſemper utantur fermentato , numquam verò azymo ; Quamvis , *ut ait Quarti* , facilius excuſari poſſit Gręcus recedens a more ſuę Eccleſię , quæ eſt pars, quam Latinus a more Eccleſię Latinę , quę eſt Caput . Unde ſi Sacerdos Latinus ſe transferat in Gręciam animo perpetuo ibi manendi , ubi non haberet proprias Eccleſias, & accederet ad Celebrandum in Eccleſiis Gręcorum; illum pluri-

rimi admonent Auctores, ut Ritum ſervet Latinorum, celebrando in Azymo.

B A

BAculus, Virga Paſtoralis, Pedum, & Capuita ſunt ſynonyma, Tres habet partes; ſummam retortam, ut Pedum Paſtorum recurvum ad colligendas (*ut ait Feſtus*) oves; Mediam rectam, imam acutam: Talis eſt S. Saturnini Apoſtolorum Diſcipuli Baculus, qui Toloſę cum Imagine Sancti antiquiſſima habetur. ſub qua Imagine ſequens legitur Verſus: *Curva trahit, quos Virga regit, pars ultima pungit.* Valentię item *S. Auguſtini* Baculus aſſervatur, qui eſt eburneus, & rotundus. Baculus datur Epiſcopo ad regimen animarum; unde verſus.

Curva trahit mites; pars pungit acuta rebelles. geſtat illum manu ſiniſtra, quę cordis eſſe dicitur: & partem curvam Populo vertit. *Cęrem. Epiſc.*

Baculo Abbatiali appenditur Velum ad differentiam Baculi Epiſcopalis. *Act. Mediol. Eccl.*

Baldacchinum in Proceſſ. SS. Sacram. *V. Proceſſio.*

Baldacchinum ſuper Altare appendi convenit colore, ubi commodè fieri poſſit, conformi colori cęterorum Paramentorum pro temporum varietate. *Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12.

Baptiſmus ſignificat Mortem, Sepulturam, & Reſurrectionem Chriſti *Rom.* 6. ideoque in Sabbato Sancto Paſchæ. & Pentecoſtes ſolemniter celebratur; Adventus enim Spiritus Sancti vocatur a Chriſto Baptiſmus: *Baptizabimini*, ait, *Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*. Act. 1. Et Baptizati a Spiritu Sancto Apoſtoli baptizaverunt aqua ter mille in die Pentecoſtes, quarè meritò ſub Pentecoſte Baptiſmus ſolemniter celebratur. *Rupert. lib.* 10. *cap.* 2. In duobus Sabbatis, Paſchę, &

Pen-

Pentecoſtes finita Fontis Baptiſmalis benedictione Cathecumeni, ſi qui aderunt, baptizandi ſunt (hoc enim eſt determinatum Tempus pro Baptizandis adultis:) *Biſſus Lit. B. n.* 17. §. 50. Aqua naturalis eſt materia Baptiſmi neceſſaria; conveniens tamen eſt aqua benedicta Sabbato Sancto Paſchę, & Pentecoſtes, in qua baptizandus, vel immergatur, vel abluatur infundendo ipſam ſupra Caput aliquo vaſe ad id deputato. Forma vero eſt: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita tamen ut cum formam profert, materiam ſimul applicet ter aquam fundens in modum Crucis; ita ut dicens *In Nomine Patris*, primò fundat, *& Filii* ſecundò, *& Spiritus Sancti*, tertiò. Solemne Baptiſma nonniſi in Eccleſia Parochiali, in qua ſint Fontes decenter in loco congruo accomodati, & a proprio Parocho miniſtrari debet; & ſi in alia Eccleſia, in qua non ſint Fontes miniſtretur, nonniſi de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia fiat, & aqua Baptiſmalis de Fonte, in aliquo vaſe decenti in eam aſportetur, *Caſtald. de Sacr. admin. cap.* 3. Sacerdos hoc Sacramentum Infantibus miniſtraturus, Superpelliceo, & Stola Violacei coloris ſit indutus. Si autem Adultis Pluviali etiam uti debet Violacei coloris. *Caſtald. ſupr. cap.* 4. Cum denique hujus Sacramenti Miniſter numquam illud ſine Rituali Romano miniſtret, ejuſdem ideò hic ſuperaddere Ritum ſupervacaneum duxi; Satis enim, ſuperque ex Rituali ipſo ea omnia compertu ſunt, quę ad Baptiſmi tum Parvulorum, cum adultorum adminiſtrationem pertinent: Hoc nnum adiiciam, quod in Baptiſmo ſolemni requiruntur etiam Patrini, duo ad

ſummum, ſed unus quoque ſufficit; ſi duo ſint, unus ſit Vir, altera Mulier; duo enim Viri, vel duæ Mulieres admitti non debent, neque Pater, neque Mater Baptizandi, neque Heretici, neque publicè Criminoſi, neque Infames, neque Impuberes, neque Inſani, neque qui rudimenta Fidei non noverunt, neque Monachi in Clauſtris perpetuo degentes; ſed Adulti Sacramento Confirmationis conſignati, quorum nomina in Libro a Parocho adnotari debent. *Caſtald. de Sacr. adm. cap.* 2.

Benedicamus Domino, dicitur in Miſſa quotieſcumque dictum non eſt *Gloria in excelſis*; ut Populus invitetur ad gratias Deo referendas pro completo Miſſę Sacrificio. *Meratus part.* 1. *tit.* 13. dicitur autem junctis ad pectus manibus, facie verſa ad Altare.

Benedictio in fine Miſſę. Ejus ritus: Sacerdos dicto *Placeat tibi ſancta Trin.* Altare oſculatur in medio, tunc erigens ſe, elevat ad Cęlum oculus, ideſt ad Crucifixi imaginem, *Bauldry part.* 3. *cap.* 6. *atque alii*, manus uſque ad humeros, & non ſupra extendens: deinde ſtatim jungens eo pacto, quo facit ad *Dominus vobiſcum*, Biſſus *Lit. S num.* 20. §. 78. caputque Cruci inclinans inclinatione minimarum maxima, dicit voce alta ordinaria; *Benedicat vos Omnip. Deus* (a Portu). Quibus verbis prolatis junctis manibus, ac demiſſis ad terram oculis, vertit ſe ad Populum a ſiniſtro latere ad dexterum, atque extenſa manu dextera cum digitis unitis, ſiniſtraque infra pectus poſità benedicit Populo unicum producendo ſignum Crucis, ut notat *Gavant.* (ad differentiam Epiſcopi, qui ter benedicit); Sed in

Be-

Digitized by Google

Benedictione inpertienda ita voces diſtribuat, ut efformet primam lineam rectam, dicendo, *Pater, & Filius*: ſecundam autem tranſverſam pronunciando, *& Spiritus Sanctus*, Anonimus Italus *cap.* 12. Ad dictam autem Celebrantis Benedictionem omnes genuflexi eſſe debent in ſuis locis. Et in Miſſa ſolemni Diaconus etiam, & Subdiaconus, ac Presbyter Aſſiſtens, ſi adſit cum Pluviali génuflectere debent, cum profunda capitis inclinatione (*ut ait Lonher*) & Cruce ſe ſignantes; Diaconus, ſcilicet a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis in ſecundo gradu, Aſſiſtens verò in ſupremo Altaris gradu in cornu Evangelii facie verſa ad cornu Epiſtolę, niſi ſint Canonici; Hi enim neque Celebrante Epiſcopo tenentur genuflectere ad ejus Benedictionem, ſed tantum Caput inclinare. *Ex Decr. S. R. C.* 4. *Maii* 1613. Epiſcopi olim Benedictionem hanc ante Communionem Populo largiri ſolebant, *ut notat Card. Bona*: atque in nonnullis antiquis Sacramentariis legitur Benedictio Epiſcopalis ante *Agnus Dei*. Ab aliis autem Sacerdotibus nulla antiquitus dabatur Benedictio in Miſſa; *Microlog. cap.* 21. ſed Orationes Poſt communionem, quas *Walfrid.* Benedictiones appellat pro Communicatis, dicebantur. In pluribus antiquis Miſſal. Germanicę legebatur hic modus benedicendi; *Adjutorium noſtrum &c. Sit Nomen Domini &c. Oremus. Cęleſti benedictione benedicat nos, & vos Divina Majeſtas, & una Deitas, Pater* ✠, *& Filius* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sanctus. Amen*. Idem in pluribus Miſſal. Gallicanis, ut refert *le Brun pag.* 681. Notandum item quod olim etiam Presbyteri, Epiſcoporum inſtar, ter Populo benedicebant, teſte *Burchardo*

do Cappellę Pontificię Cęremoniarum Magiſtro, qui hęc habet. *Deinde extenſis manibus &c..... vertit ſe ad manum ſiniſtram ..... Primo verſus cornu Epiſtolę, ubi manu dextra ſignum Crucis producens ſuper Populum, voce intelligibili dicens*, Pater ✠, *tum in medio ſimili voce dicens*, & Fi✠lius, *deinde verſus cornu Evangelii dicens*, & Spiritus ✠ Sanctus. ℟ Amen. Hic Ritus uſque ad Pium V. perduraſſe videtur, qui facultatem Presbyteris abrogavit ter Populo benedicendi in Miſſis privatis; Et Clemens poſtea VIII. trinam hanc Benedictionem, & in Miſſa ſolemni Presbyteris prohibuit, ut in Miſſali pręſcribitur ejus auctoritate recognito. In Miſſis Defunctorum non datur Benedictio, *ut ait Durand.*, quia ſolemnitatem habet Benedictio. Sacerdos ſi celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale Legato Sedis Apoſtolicę, vel Patriarcha, aut Epiſcopo in ſua Civitate, vel Dięceſi, etiam in Eccleſiis Regularium, & Privilegiatis, ſive Archiepiſcopo in ſua Provincia; dicto *Benedicat vos Omnipotens Deus*, ad Pręlatum illum ſe convertet, & ſic eſt *Summus Pontifex*, genuflexus, ſi autem *alius ex ſupranominatis*, profundè inclinatus petet licentiam benedicendi; tum ſurget, & proſequetur: *Pater, & Filius, &* ✠ *Spiritus Sanctus*, dextera benedicens adſtantes, non tamen in medio, ubi eſt *Pontifex*, ſed verſus partem Evangelii.

Benedictio Populi cum SS. Sacramento; finita Oratione, & reſponſo a Choro *Amen*; Celebrans genuflectens in infimo Altaris gradu, accipit ſuper humeros Velum oblongum (miniſterio Cęremoniarii) deinde aſcendit ad Altare, ibique genuflectit SS. Sacramento unico genu (ut facilius, &

com-

commodius ſurgat) & abſque alterius miniſterio accipit Oſtenſorium velatis Manibus, & dextra tenens nodum, & ſiniſtra pedem Oſtenſorii ante pectus, vertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, illumque benedicit ſemel tantum hoc Ritu. Tenens igitur Oſtenſorium ante pectus, elevat illud decente mora, non ſuper Caput, (ut multi ineptè faciunt) ſed tantum uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit uſque ad pectus, & deinde ad ſiniſtrum humerum ducit (corpus non movens *ex Bralion part.* 3. *cap.* 18. *num* 7.) & reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes Mundi partes Cruce. Tunc girum perficiens ſe convertet ad Altare verſus cornu Evangelii, non autem Epiſtolę. *Bauldry*, *Tonellius*, *Nicolaus de Bralion ſupra*, *atque alii*. Communis tamen Eccleſiarum Urbis, atque Orbis uſus eſt, ut poſtquam Sacerdos reduxit Oſtenſorium ad latus dexterum, non debeat rurſus ante pectus reducere, ſed ſtatim ad cornu Evangelii ſe convertere; atque a *S. R. C.* uterque hujuſmodi Ritus approbatus fuit. *Decr.* 21. *Mar.* 1676 Dum autem Sacerdos benedicit Populum cum SS. Sacram. nihil prorſus dicit, quia propriè Sacerdos non eſt ille, qui benedicit Populum, ſed Sacramentum. *Baruffald.* Muſici quoque, & Cantores ſilere debent dum datur Benedictio; Poſſunt tamen pulſari Organa ſuavi ſono, & gravi, ſicut fit ad elevationem Sacramenti. Diaconus autem, & Subdiaconus, (ſive alii) hinc, indè genuflexi (hoc eſt in ora ſuppedanei), & inclinati facie verſa ad SS. Sacramentum, elevant par-

partes anteriores Pluvialis, dum Sacerdos benedicit Populum. *Bauldry part. 4. cap. 16. art. 3. num.* 35. Sacerdos, data Benedictione, & depoſito SS. Sacramento ſuper Altare, ſtatim genuflectit unico genu, & deſcendit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi iterum cum eodem genuflexus manet, & per Cęremoniarium, vel per eumdem Subdiaconum, (*ut ait Gavant.*) amoto Velo ab ejuſdem humeris, Diaconus interim remanens in ſuppedaneo Altaris, reponit SS. Sacramentum in Tabernaculo, factis ante, & poſt debitis genuflexionibus. Tum deſcendit ad dexteram Sacerdotis, qui facta uno, eodemque tempore cum Miniſtris genuflexione Sacramento unico genu, acceptiſque de more biretis, tegunt Capita ſua ante Altare, & recedunt in Sacriſtiam.

Benedictio Fidelium poſt Communionem. *V. Communio.*

Benedictio rerum, ſumitur pro prece, qua Eccleſiaſtico more rebus ipſis ſpecialis ſanctitas impertitur; ita ut in uſus profanos illę deinde transferri non poſſunt; & alię quidem ſunt conſtitutivę Benedictiones, aliæ invocativę, *ex Cajet.* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 11. Illę quidem, per quas ſive res, ſive perſonę Divino Cultui deſtinantur; Hę verò ſunt, per quas a Deo vel rebus, vel Perſonis imploratur auxilium Divinum: Primi generis ſunt Benedictiones Aquę, Veſtium Sacerdotalium, Mapparum Altaris, Corporalium, & Vaſculi pro Sacroſancta Euchariſtia, quę (excepta Benedictione aquę) a ſolis Epiſcopis fieri poſſunt. Secundi generis alię ſunt, Agni in Paſchate, Ovorum, Panis, novorum fructuum, cujuſcumque Comeſtibilis, Candelarum, Loci, Domus novę,

Tha-

Thalami, novę Navis, atque alię, quę habentur in Rituali Romano; & hę a quocumque Sacerdote fieri poſſunt. Habitus benedicturi Sacerdotis erit Superpelliceum, & Stola regulariter alba, nam color albus deſignat puritatem communicandam rebus benedicendis. Aliquando tamen Stola adhibetur coloris violacei, quando nempe benedictio conjuncta eſt cum exorciſmis ad effugandos Demones, unde ad aquam benedicendam, eo colore utimur; poteſt tamen adhiberi Stola coloris tempori convenientis, *ut dic. in Rubr. Rit. Rom.* ſemper autem Sacerdos benedicat ſtando, & aperto Capite: manuque formet Crucis ſignum verſus rem, ubi eſt nota ✠, & ter ipſam aſpergat in fine, hoc eſt in medio, a dextris, & a ſiniſtris. Res benedicendę collocari quidem poterunt ſuper Altare: non autem eſculenta, quę omninò ſuper menſam ponenda erunt non in Altari.

Benedictio Candelarum. *V. Purificatio B. M.*

Benedictio Cinerum. *V. Cineres.*

Benedictio Palmarum. *V. Dominica Palmarum.*

Benedictio Cerei Paſchalis, quinque granorum Incenſi, & Fontis. *V. Sabbatum Sanctum.*

Benedictio Agni ad communem Menſam in Paſchate fit ex antiquiſſimo uſo Romano. *Microlog. cap.* 54 ut poſt Quadrageſimale Jejunium (ſicut adſtruit *Durand. in ration. Divin. Officior. lib. 6. cap. 86. part.* 7.) ſumatur a Fidelibus aliquid de carnibus Agni benedicti, priuſquam alię Carnes guſtentur, & quidem cum gaudio, & lętitia ob adimplementum ſcripturarum, quę jam pròmiſerant Agnum eſſe venturum, & ſanguine ſuo humanum genus redempturum.

Be-

Benedictio Frugum originem habet a S. Clemente *Conſtit. lib.* 8. *cap.* 4 ſeu a Decreto Eutychiani Papę, *ex Baronio Anno* 283. Panis autem benedictio a S. Petro, *ex Abdia lib.* 2. *Hiſtor. Apoſt.*

Benedictio Veſtium Sacerdotalium ſolis Epiſcopis competit; Sacra tamen Rituum Congregatio ſępius pro facultate delegandi ab Epiſcopis requiſita, eam pluribus conceſſit, aliquando limitando perſonas in dignitate conſtitutas 14. *Nov.* 1615. aliquando tempus ad ſex Menſes 14. *Martii* 1616. & ſępius tandem ſine limitatione 2. *Mart.* 1619. & deinceps aliis eodem modo. Abbates, & alii Regularium Superiores ex privilegio Sacras Veſtes poſſunt benedicere, non tamen Eccleſiarum non ſibi Subditarum. *S. R. C.* 14. *Aug.* 1609.

Benedictus qui venit in nomine Domini &c. cum dicit Sacerdos erigit ſe & corpore, & capite; & ſignum Crucis ſibi producit a fronte, ad pectus, juxtà morem conſuetum; & hoc idem Crucis ſignum eodem tempore ſibi format Miniſter. *Bauldry part.* 1. *cap.* 17 *n.* 32. *Vinitor part.* 2. *tit.* 16. §. 30. In formando dicto Crucis ſigno, debet Sacerdos tenere hanc regulam: dum profert vocem *Benedictus*, ſignat frontem: dum profert *qui venit*, ſignat pectus; dum profert *in nomine Domini*, ſignat humerum ſiniſtrum; dum profert *Hoſanna in excelſis*, ſignat humerum dexterum. *Merat. part.* 2. *tit.* 7.

Bugiâ, ſeu Palmatoriâ, uti non poſſunt Canonici in celebratione Miſſę *S. R. C.* 11. *Jul.* 1699. niſi ex privilegio; ut hic Piſtorii. Diaconi Aſſiſtentes non tenentur, immò non debent inſervire Epiſcopo de *Bugiâ*, ſed ea adminiſtranda eſt per Cappellanum, *S. R. C.* 16. *Mart.* 1628.

Burſa, ſeu Pera (ut eam Vocat *Chronic. Mogantin.*) convenit, ut Crucem in medio habeat, ut mos eſt. Atque intra eam recludatur omninò Corporale, ut cautiùs, & decentius deferatur. Quę verò pars *Burſæ* aperta eſt, Celebrantem reſpiciat, velo anteriori ſuper eam revoluto, ut Calix commodiùs deferri queat a Sacerdote. *Gavant. part.* 2. *tit.* 1. Deponitur autem hęc manu ſiniſtra ad cornu Evangelii in loco congruo, v. gr. inter Candelabra, non autem ſub Candelabro, ne liqueſcente cera deturpetur, ut advertunt, *Tonellius*, *Biſſus*, *atque alii*. Pars verò ejus aperta medium Altaris reſpiciat; Ubi autem Burſa collocari debeat, & quomodo deferri a Diacono in Miſſa Solemni. *V. Miſſa ſolemnis*.

C A

CAdaver ſi Defuncti Sacerdotis ſit ponitur cum capite verſus Altare; è contra verò corpora aliorum Defunctorum verſus Altare habent pedes. Cum autem *ex Cęremoniali Epiſc.*, & *ex Rituali Rom.* Subdiaconus cum Cruce debeat ſtare ad caput Defuncti, & Celebrans ad Pedes, in caſu ergo Sacerdotis Defuncti, inhęrendo diſpoſitioni *Ritualis*, *& Cęrem. præd.*, Subdiaconus cum Cruce ſiſtere ſe debet ad Caput ipſius terga vertendo Altari. Et hoc ex Decr. etiam S. R. C. in quo hęc habentur. *In exequiis Defuncti Sacerdotis preſente corpore locetur Crux ad Caput Defuncti inter Feretrum, & Altare*. S. R. C. 3. Sept. 1746.

Cæremoniarius, ſedentibus in Miſſa ſolemni Celebrante, & Miniſtris Sacris, ſedere non debet, ut docet *Gavant. Arnaud. tit.* 4. *n.* 13. *& Corſett.*

ſett. cap. 2. *de Rubr. Gen.* ſed ſtare debet cum Clericis apud Credentiam. *Lonher* verò *part.* 3. *tit.* 8. *n.* 3. *Caſtald. lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 2. *Bauldry part.* 3 *cap.* 11. *art.* 5. atque alii affirmant non ſolum Cęremoniarius, ſed Acolytis etiam ſcamnula, ut ſedeant concedi debere in Miſſa Solemni. Sed in horum ſententia quando cantantur a Choro verba illa, in quibus Sacerdos in Miſſa privata caput inclinat, v. gr. *Adoramus te, Gratias agim.* Cęremoniarius primus tempeſtivè ſurgens aliquantulum, *Lonher part.* 3. *tit.* 4. capitis inclinatione, vel etiam manus dexterę nutu, monet Celebrantem, & Miniſtros, ut aperiant caput, & inclinent, *Bauldry Caſtald.*, *& Lonher*. Hoc idem ſignum dat Clericis ſecundus Cęremoniarius, ut facilius, & ipſi commoneantur, *Caſtald.* ſed non ſurget, quia nullum admonet ſibi ſuperiorem, ut docet *Bauldry*, qui addit *part.* 3. quod tum Clerici, tum Cęremoniarii priuſquam ſedeant, Celebranti ſe ſe inclinabunt. Verum ex praxi omnium Baſilicarum Urbis, & aliarum Cathedralium, a qua non eſt recedendum, nullus alius in Miſſa Solemni, pręter Celebrantem, & Sacros Miniſtros ſedere debet. Cum verò Cęremoniarius Officium exercet in Veſperis, & Officiis Divinis ſolemniter celebratis, tunc ſedere poteſt. Immò ex *Decr. S. R. C* 30. *Apr.* 1701. ſedere debet apud Celebrantem, vel ejus Aſſiſtentes Pluvialibus indutos. Cętera Cęremoniariorum munera *V. in Miſſa Solemni, in Proceſſione SS. Sacramenti*, atque *in Functionibus Hebdomadę Majoris*.

Cæremonię; de hujus vocis *etymologia* Varię ſunt Auctorum opiniones: ſunt namque qui Cęremo-

niam veluti *Gerimoniam* a gerendo derivatam credunt, ut ea indicentur, quę in Sacris ſolemni Ritu geri debent, ita *Joachimus Camerarius*, *Joſephus* verò *Scaliger* relatus a *Voſſio* cenſet Cęremonias dici ab antiquo vocabulo *Cęrus*, ideſt *Sanctus*; unde in *Saliari* Carmine *Cęrus manus*, ideſt *Sanctus*, *bonuſque*. Ita a *Cęrus* erit *Cęremonia*, ut a *Sanctus*, *Sanctimonia*, a *Caſtus Caſtimonia &c.* Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. *Cęremonię* nomen a *Cęre* Tuſcię Oppido, non longè a Tarquiniis ſito, originem ducere arbitratur; Nam, Roma a Gallis capta, cum Flamen Quirinalis, & Virgines Veſtales, omiſſa rerum ſuarum cura, ſimulacra Deorum ab Hoſtibus erepta inter ſe onere partito traducerent, ad prędictum Oppidum primùm devenerunt; ubi, quia benignè, ac humaniter hoſpitio ſuſceptę fuerunt, Romani grata memoria prętitere, ut omnis Divinus Cultus, atque Religio *Cęremonię a Cęre* vocaretur. Idem narrat *Florus lib. 1. cap.* 13. & ante alios *Livius lib. 7. cap.* 1. ubi idcirco *Cęre* appellat *Sacrarium Populi Romani*, *Diverſorium Sacerdotum*, *ac Receptaculum Romanorum Sacrorum*. Hanc ultimam de *Cęremonię etymologia* ſententiam amplexus eſt *Joſephus Vicecomes*, quę quidem etiam recentioribus rerum Liturgicarum ſcriptoribus cęteris probabilior videtur.

Cæremonię, & Ritus materia ſunt, circa quam verſantur Rubricę, quo autem pacto Ritus a Cęremonia diſtingui debeat non conveniunt Doctores, Vult enim *Macrius* in *ſuo Hyerolexico* Cęremoniam eſſe ipſam actionem ſanctam, qua Divinus Cultus peragitur; Ritum verò eſſe modum, quo actio ipſa ſacra facienda eſt. *Card.* autem

Bona lib. de Div. Pſalm. cap 19. docet, Cęremonias propriè loquendo eſſe Ritus ſanctos in Sacrificiis, & Divinis Officiis ad Dei cultum adhibitos. Notandum tamen eſt, Ritus Miſſę communiter dividi in eſſentiales, & accidentales. Eſſentialis quidem Miſsę Ritus a Chriſto inſtitutus fuit, & conſiſtit in Conſecratione utriuſque ſpeciei, vel etiam Communione Sacerdotis Celebrantis, ut explicant nonnulli Theologi. Accidentalis verò conſiſtit in actionibus, & precibus, aliiſque circumſtantiis ab Eccleſia adjunctis, quę dicuntur Sacramentalia, & Cęremonię Sacrę, ut videre eſt apud *Bellarminum lib.* 2. *de Sacram. cap.* 29. *Suarez tom.* 3. *part*, 3. *diſp.* 15. *atque alios*. Ideoque *Paulus Quarti* in ſuis Commentariis in Rubr. Miſſalis *quęſt. proemial. ſect.* 1. *punct.* 2. ait Cęremoniam communiter ſumi pro Ritu accidentali, eamque ſic definiri poſſe: *Eſt actio Religioſa ad cultum, & decentiam Sacrificii ab Eccleſia inſtituta*. Quę definitio etiam *a Suarez* traditur. Patet ergo Cęremoniam Sacram confundi cum ritu *accidentali*, non autem convenire cum Ritu *eſſentiali*. *Meratus part.* 1. *Comm. & obſervat. pręlimin.* cęremoniam a Ritu diſtinguit, dicendo, Ritus Sacros conſiſtere in illis precibus, Epiſtola, Evangelio &c, quę juxta Eccleſię diſpoſitionem recitari debent in Miſſa: Cęremoniam autem conſiſtere in ſolis geſtibus, quibus prędictę preces juxtà ejuſdem Eccleſię pręſcriptum peragi debent ad majorem ornatum, & decentiam Sacrificii, quod celebratur: & revera Cęremonialia, ſeu Libros Cęremoniarum vocamus illos, qui non orationes, & preces dicendas pręſcribunt, ſed modum, quo illę

dicendę ſunt: E contra Rituales nuncupamus illos, qui continent preces, ſeù alias Orationes, quas recitandas prę́ſcribunt. Si quis autem adderet, vel detraheret ex Cęremoniis, etiam devotionis cauſa, pręſumens id eſſe melius; tunc peccaret mortaliter; quia in Bulla Pii V. dicitur: *Ne præſumant*: Ita *Anton. Molin. in inſtruction. Sacerdotum tract.* 3. *cap.* 11. §. *ult.*

Cæſaries Ficta (vulgò *Perucca*) In Concilio Romano celebrato Anno 1725. a Benedicto Papa XIII. *tit.* 16. *cap.* 3, ſancitum eſt, quod qui ignominiam ſęcularis habitus, & comam capitis pro Chriſti amore depoſuerunt, Veſte, ac Tonſura Clericis congruente ſemper utantur, comamque fictitiam numquam adhibeant. Sed ante pręfati Concilii Sanctionem ęditum jam fuerat Decretum, in quo pręſcribitur, quod Miſſa non poteſt celebrari cum Cęſarię ficta. *Ita S. R. C.* 3. *Auguſti* 1652.

Caligę, ſeu *Sandalia*, Soleę etiam dicuntur *ab Alcuin.* ſed *ex Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 48. diſtinguuntur in habitu Epiſcopali, nam *Caligę* primum induuntur uſque ad genua, *&* *Sandalia* pedes tantum contegunt. *Caligę* quia ligantur, ſic dictę, *ex Iſid. lib.* 19. *& Orig. cap.* 34. quarum uſus ab Apoſtolis manat, *ex Raban. lib.* 1. *Inſtit. Cleric. cap.* 22. & probat *ex Marci cap.* 6. denotant Incarnationem Chriſti; de qua in *Pſ.* 59 *In Idumęam extendam Calceamentum meum*. Ex Steph. Edvenſ. monent prętęrea greſſus rectos eſſe faciendos, & genua roboranda in prępárationem Evangelii; quod eſt proprium Epiſcoporum, & Prędicatorum: & item affectuum cuſtodiam, qui ſunt pedes animę, *ex Ivon. Carnot. ſerm. de ſign. Indum.*; concordant hęc cum Oratione, quę dicitur ad Caligas. Ca-

Calix a voce Græca *Kylix* , *ex Macrob. lib.* 5. ab aqua calida dictus, ut ajunt *Varro Lat. ling. lib.* 4. & *Feſtus lib.* 3. quam vino mixtam habebant veteres in deliciis, ut docet *Perſius*, vel *ex Iſid.* ab alia voce Græca *Kalon*, quę lignum ſignificat, nam ex ligno, ait, fiebant Calices. Baronius *ex Beda Anno* 34. *num.* 63. aſſerit Chriſtum in Calice argenteo conſecraſſe, verùm negat id *Chryſoſtom. Hom.* 51. *in Matth.* his verbis: *Non erat ex Argento illa Menſa, nec ex Auro ille Calix, quo Chriſtus Diſcipulis ſanguinem prębuit ſuum: prętioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant*; Undè in ſententia Chryſoſtomi non *Phyſicè*, ſed *Myſticè* Chriſti Calix in ultima Cœna prętioſus fuit. Et revera Apoſtoli Calices ligneos adhibuere, quorum uſum Eccleſia ad aliquod tempus procul dubio retinuit; Nam *S. Bonifacius Mart. & Epiſc.* Ultrajectenſis dicere ſolebat: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur: nunc contrà lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus*. Vitrei Calices decreti poſtea fuerunt *a S. Zephyrino, apud Damaſum in ejus Vita*; Sed & tunc temporis Argentei erant in uſu apud aliquos, *ut not. Baron. in notis Martyrolog.* 7. *Aug. ex Auguſt. Epiſt.* 165. Urbanus deinde argenteos, & aureos inſtituit Calices. Octo angulis formabantur, *ex Prudentio apud Bulengerum lib.* 2. *cap.* 20. Imaginibus etiam decorabantur, quos effigiatos Hiſtoria Paſtoris, & Ovis docet *Tertull. de pudic. cap.* 7. & 10. & Imaginatos Calices ideo appellat *S. Remigius* in ſuo teſtamento. Calix ab Epiſcopo conſecratus eſſe debet; quę quidem Conſecratio habetur *in Ord. Rom.* & durat Conſecratio,

donec frangatur, vel intus de nuovo auro liniatur, *Suarez diſp.* 81. nam *ex Rubrica* debet ſaltem Cuppam habere argenteam intus inauratam. Non licuit Subdiaconis ante *Conc. Laodic.* Calicem tangere; immò in hoc *Conc. Anno circiter* 363. celebrato *Canon.* 21. ſancitum eſt Subdiaconum non debere contingere Vaſa ſacrata, (quę ſunt *Calix*, *&* *Patena*, quę ſacro Chriſmate in Conſecratione ungi debent *ex Innoc. III. lib.* 1. *Decret.*) Illis tamen data facultas iſta eſt in *Conc. Bracar. Anno* 563. *Can.* 10. Ex *Ord.* tamen *Roman.* 5. *pag.* 68. manifeſtum eſt etiam Acolytis in Eccleſia Romana eamdem licentiam conceſſam fuiſſe. Sacerdos Celebraturus omnibus Paramentis Sacris indutus, accipit Birretum, eoque caput tegit, & deinde accipit manu ſiniſtra Calicem per nodum; *Caſtald. lib.* 2. *cap.* 26. & *Lonher*, quem deferre debet nec nimis diſtantem; nec pectori adherentem, & ita, ut ejus ſummitas pertingat ad mediam pectoris altitudinem, *Hippolyt. a Portu tit.* 2. *n.* 1. Manu dextera poſita ſuper burſam Calicis digitis extenſis, ad firmandam dictam burſam, ne aliquid decidat. *Idem a Portu*, *&* *Quarti*. Antequam autem a loco Paramentorum diſcedat, facit Cruci, vel Imagini, quę in Sacriſtia eſt, reverentiam, capite cooperto, profundam, hoc eſt profunda capitis, & humerorum inclinatione. Quę autem inclinatio, reverentia, ac genuflexio fieri debeat tranſeundo cum Calice ante Altaris Crucem, ante SS. Sacram. &c. *V. Inclinatio*, *Reverentia*, *&* *Genuſl.* Notandum eſt quod Sacerdos nihil ponere debet ſuper Calicem, pręter ea, quę a

Ru-

Rubrica præſcribuntur , non Manutergium (*ex Decr. S R C.* 1. *Sept.* 1703. in quo hęc habentur : *Sacerdotes non debent deferre Manutergium ſuper Calicem , tam eundo , quam redeundo ab Altari* . Item neque rem aliam ſupra burſam ponat ; nec clavem Sacrarii , neque Patenam cum Hoſtiis pro communicantibus , *Cęrem. PP. diſcalceat SS. Trinit. part.* 2. *cap.* 1. Denique nec perſpicilla , ſi iis utatur ; ſed ea tradere debet Miniſtro deferenda , *Bauldry part.* 3. *tit.* 2. *& Gervaſi in Cathal. errorum num.* 15. Calix velo coopertus remanet a principio Miſſę uſque ad Offertorium , quę dicitur Miſſa Cathecumenorum : diſcoopertus autem ab Offertorio uſque ad peractam Communionem , quę eſt Miſſa Fidelium , in qua ſcilicet , magis expreſsè revelari debent Myſteria Paſſionis Dominicę , *Quarti part.* 2. *tit.* 2. *Bauldry part.* 3. *num.* 4. Dum Sacerdos vinum , & aquam imponit in Calice , advertat ne illum teneat elevatum , ſed ſuper Altare poſitum ; immò benè ipſum admoveat propè ampullas , ne guttę vini , & aquę deturpent mappam Altaris , *Biſſus* , & *Bauldry*. Vinum autem , & aquam in Calice imponit ritu a *Rubrica* pręſcripto ; Notandum tamen , quod ſi poſt vini , & aquę impoſitionem guttę aliquę diſperſę appareant intra Calicem , circumacto vino uniantur , vel purificatorio abſtergantur , quod decentius eſt , ne poſt Conſecrationem dubium oriatur an ſint conſecratę , *Biſſus Lit. S. num.* 20. *Gervaſi* , *Bauldry* , & *Gavant.* Poſt abſterſionem Calicis Sacerdos ſiniſtrà manu deponat purificatorium plicatum ſuper eam Patenæ partem , quę eſt extra Corporale . eam coo-

cooperiendo ita, ut extremitates dicti purificatorii reſpiciant Altare, non verò Celebrantem, *Biſſus*, *Bauldry*, *Tonell.* & *a Portu*. Quibus peractis Sacerdos ſtans adhuc in cornu Epiſtolę, antequam illac diſcedat, ut eat ad medium Altaris, manu ſiniſtra in nodo deprehendens Calicem, deponit illum eodem quidem cornu Epiſtolę, ſed prope Corporale, *Angel. part.* 3. *tit.* 7. *Vinitor part.* 2. *tit.* 7. ut eum poſtea è medio Altaris commodius accipere poſſit. Poſtmodum junctis de more manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, & facit ſolitam Cruci reverentiam: mox ſiniſtra manu ſuper Altare poſita, dextera accipit Calicem per nodum; cui occurrens, dum eſt prope medium Altaris ſiniſtra manu, eum eadem manu accipit per pedem, atque ambabus manibus elevatum tenet; ita tamen, ut Calicis cuppa non excedat oculos, ideoque pes elevetur ante pectus. *Quarti part.* 2. *tit.* 7. *Caſtald. lib.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 5. Atque interim illum offert cum debita intentione dicens Orationem: *Offerimus tibi &c.* intentis ſemper ad Deum oculis, nimirum ad Crucifixi Imaginem; *a Portu. Biſſus*, *& Gervaſ.* Finita autem Oratione Sacerdos tenens adhuc Calicem ambabus manibus, ut ſupra, facit cum eo ſignum Crucis ſuper Corporale, quod non debet excedere latitudinem palmi in utraque linea, *Biſſus*, *& Gervaſi*. Calicis verò pedem dum hoc ſignum Crucis efformat elevatum tenet a Corporali ad altitudinem trium circiter digitorum *Anonymus Italus*. Peracta demum hac Cruce, ambabus manibus ſemper Calicem tenens, illum in medio Corporalis poſt Hoſtiam collocat; ſufficit autem,

ut Calix diſtet ab Hoſtia per ſpatium alterius Hoſtię circiter, *Biſſus*, *Caſtald.* *& Tonell.* Eumque Calicem deinde palla cooperit dexterà manu, ſiniſtrà pedem Calicis tenens, quod ut monent *Angeli part.* 3. *tit.* 6. & *Bonamic. part.* 2. *num.* 3. ſemper obſervabit Sacerdos, ſive cooperiat Calicem, ſive diſcooperiat, ne forte in eum impingens, nolens invertat; quod periculum preſertim poſt Conſecrationem precavendum eſt. Cooperitur autem Calix palla, tum ob periculum, ne quid in illum cadat; tum ob myſterium, quia in Calice repreſentatur Chriſtus, ut in Sepulcro opertus Sindone, Sudario, Lapide clauſo, & ſignato, *Durand. cap.* 46. Ritus ſervandus in Calicis Conſecratione ſatis apertè habetur ex *Rubrica*. Notandum tamen *cum Gavanto*, quod quidam dicto, *item tibi gratias agens*: deponunt Calicem, ut manus jungant, & benedicant, ſed non bene; non enim deferendus eſt Calix ab ejus acceptione, (ſicut nec deferitur Hoſtia ad illud verbum, *Benedixit*,) donec fiat Conſecratio. *Hæc quotieſcumque &c.* dicere debet Sacerdos antequam elevet Calicem; & dum reponit, pedi Calicis non debet oſculum infigi a Celebrante; de quo nihil in *Rubrica*. In Calicis conſecrati adoratione, ſeu genuflexione, Sacerdos non tenet eum pre manibus, ſicut tenet Hoſtiam conſecratam: ratio diſparitatis deſumitur a periculo effundendi ſanguinem per actum genuflexionis; quod non contingit in Hoſtię adoratione. Facta igitur genuflexione, mox ſurgit; & Calicem diſcoopertum (nam ut preſcribitur in Miſſali reformato a S. Pio V. Calix nunc coo-

pre-

pertus conſecrari non poteſt ; ut antiquitus) accipiens ambabus manibus videlicet ultimis tribus digitis ſiniſtrę manus pedem Calicis tenentibus , & dextera nodum apprehendente , ita , ut Calicis nodus intercludatur a dexterę pollice , & indice unitis ex parte anteriori, ac medio , & anulari ex parte poſteriori , elevat eum perpendiculariter, ita tamen , ut pes ejus non excedat oculos Sacerdotis , intentos ſemper in dictum Calicem elevatum , *Bonamic. part.* 2. *n.* 28. *Gervaſi* , & alii communiter . In ſumptione autem Sanguinis ea omnia ſervanda ſunt, quę apertè a Rubrica prędcribuntur. Caveat tamen Sacerdos , ne dum ſe ſignat ſigno Crucis cùm Calice ſeipſum tangat prędicto Calice ; & Patenam non moveat , quam , dum hoc Crucis peragit ſignum , ſuper Corporale ſiniſtra manu apprehenſam tenere debet , ut eam poſtea Calici ſupponat , hoc eſt ſubtus mentum , dum Sacratiſſimum Sanguinem ſumit . Advertat iterum quod dum ſumit debet cavere , ne inconcinnè Calicem reclinet : & ſumpto Sanguine , nec labia ſua , nec digitos lambat , ut ineptè aliqui faciùnt . Decens videtur inſuper, quod ſicut Sacerdos poſt ſumptionem Hoſtię aliquantiſper quieſcit in meditatione Sacramenti, idem prędtet poſt Sacratiſſimi Sanguinis ſumptionem ; & quamvis de hac ſecunda meditatione nihil loquatur Rubrica ; tamen ita piè interpretanda eſt ; qua propter depoſito ſuper Altare Calice , non retracta ab eo manu , pauliſper in meditatione quieſcit , & dicit poſtea; *Quod ore ſumpſim.* porrigitque Calicem Miniſtro in cornu Epiſtolę , ut accipiat ab eo vinum, quo

ſe

ſe purificet: & ſic peragendo inherebit ſententię *Tonell. Baldaſſar. Moncii*, & aliorum, quę eſt valdè pia; notandum autem, quod dum Sacerdos quieſcit in meditatione Sanguine ſumpto; & dum dextera manu Calicem porrigit Miniſtro, Patenam ſiniſtra manu ſuper Corporale ſemper tenere debet, ut eam, dum purificationem ſumit ſupponat Calici, ut in ſumptione Sanguinis; Priuſquam tamen vinum purificationis ſumat, levi debet agitatione Calicem circumagere ſuper Corporale, ut colligantur ſpecies, quę remanſerunt; Atque per eamdem Calicis partem, per quam Sanguinem Chriſti hauſit, etiam purificationem ſumere debet, *ex Epiſt. S. Pii V. rel. a Vinc. Surian. part.* 1. Si verò poſt quam Sacerdos Sanguinem ſumpſit, particula Hoſtię in Calice remanſerit, quęſtio eſt inter Doctores utrum decentius ſit talem particulam digito indice dexterę manus amovere, ut facilius ſumi queat; an debeat talis particula relinqui, ubi reperitur, ut poſtea ſumatur cum purificatione; uterque modus approbatur a Miſſali *tit.* 10. *num.* 8. *de defect. oc. in Miſ.* ſed communiter a Doctoribus magis approbatur ſecundus, quam primus.

Calix quomodo, & a quibus tractari debeat in Miſſa Solemni. *V. Miſſa Solemnis*.

Campanę nomen habetur *apud S. Hieronym. in Regul. Sanctim.* unde patet Ritum antiquiorem eſſe *Sabiniano Papa*, qui dicitur ſtatuiſſe pulſationem Campanę ad Horas Canonicas., *Durand. lib.* 1. *cap.* 4. In ſeculo autem, quo vixit *S. Anaſtaſius* Perſa Martyr, circa Anno 610. ligna pulſabantur pro Campanis. Vulgo fertur Paulinum

Nolanum Epiſcopum *Nolarum*, ideſt Campanarum uſum in Eccleſiam invexiſſe; hoc eſt ad rem Sacram: Nam Gentiles ante Chriſtum iis uſi ſunt, *ex Angel. Rocca de Campanis*: cui placet Auctorem dici S. Paulinum coęvum S. Hieronymo: Ideo a Civitate *Nolę*, & Regione *Campanię* dictas fuiſſe *Nolas*, & *Campanas*: Eadem docet *Polidor. Virgil. de invent. lib.* 3. *cap.* 18. Meminit Benedictionis Campanarum *Alcuinus*; Et *Baron. Anno* 615. *tom.* 8. ſcribit de Joann. XIII. Campanam benedicente, Anno 968. Cęterum miſericordiam Dei annuntiant Campanæ, ut olim Hebręorum tubę clangentes; *Et erit recordatio veſtri coram Domino*, *Num.* 10. Unde & eos, qui Campanas pulſant ſacris vult ſuperpelliceis indui, *Conc. Colonienſe part.* 3. *cap.* 31. Ad Elevationem in Miſſa Solemni pulſandę ſunt Campanę majores turris Campanarię, ut Populus admoneatur, *Gavant. Corſett. & Caſtald. lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 2.

Campanę quomodo pulſandę ad Hymnum *Gloria in excel.* in Fer. 5. in Cęna D. & Sabb. Sanct. *V. Fer.* 5. *in Cęn. D. & Sab. S.*

Campanula; Tintinnabulum, & Cloca ſunt idem, *Durand. lib.* 1. *de Rit. cap.* 2 ex tinnitu *tin tin* dicitur Tintinnabulum, *ex Hieronymo Magio de tintin. cap.* 1. Ad excitandos circumſtantes, ad lętitiam exprimendam, & ad cultum SS. Sacramenti adhibetur Campanula: fuſius *Amalarius lib.* 3. *cap.* 1. *& Rupert. lib.* 1. *cap.* 16.

Campanula, dum Sacerdos dicit *Sanctus*, ter interpolatim pulſatur a Miniſtro, duobus ſcilicet ictibus pro ſingulis vicibus. *Bauldry part.* 1. *&* 3. *Biſſus*, *Gavant. atque alii*. Pulſatur autem

uſ-

uſque dum Sacerdos dicat *Benedictus &c.* Ad Elevationem pulſatur, *ex Decr. Greg. V.* & meminit hujùs ritus *Ivo Carnot. Epiſt.* 167. Sicuti in Veteri Teſtamento Levitę tempore Sacrificii tubas clangebant argenteas, quarum ſonitu Populus provocabatur ad adorandum. *Durand. lib.* 4. *cap.* 41. Ter autem pulſatur, ad unamquamque Elevationem Calicis, & Hoſtię, ideſt cum Sacerdos adorat, cum elevat, & cum reponit Hoſtiam, ſeu Calicem; pulſari etiam poteſt continuatę, ut in *Rubrica*, ſed cum ternario numero gaudeat Deus, ut inquit *Gavant. ex Innoc. III.* ideoque Ritus ter pulſandi Campanulam decentior eidem *Gavanto* videtur. Huc ſpectat ſubſequens *S. R. C.* Decretum de non pulſanda Campanula quando ſit aliqua Proceſſio in Eccleſia. *In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quę fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad Elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa privata; quod ſi pulſetur, & advertatur Elevatio, tunc genufleƈtendum eſt a tranſeuntibus utroque genu ante Altare, ubi Miſſa celebratur: S. R. C. die* 1. *Martii* 1681.

Candelabra ſaltem duo cum candelis accenſis unum nempè in cornu Evangelii, & alterum in cornu Epiſtolę in Altari eſſe debent, in quo Miſſa celebratur, quibus *ex S. Clem. Ep.* 2. *ad Jacobum*, ſignificantur Populi, pręſertim Judaicus, & Gentilis. Melchiad. autem Papa Decreto ſtabilivit hunc Ritum *apud Burchard. lib.* 5. *cap.* 7. Saltem duo, ait Rubricà; quia in Solemnioribus Miſſis regulariter ſex in recta linea debent adhiberi; quod coniicitur ex trina

hic

Digitized by Google

hinc , indè Altaris Incenſatione , prout (*ait Rubr.*) diſtribuuntur Candelabra . Plura autem quam ſex apponi non debent Candelabra in recta linea in Miſſa etiam Solemni , non Pontificali ; In Feſtis autem minus ſolemnibus pauciora , ſaltem quatuor apponenda forent . Lumina fuiſſe ad Miſſam adhibita ſub Teleſphoro ſcribit *Auctor Breviar. Chronol.* Ordo item Romanus lumen requirit in Miſſa , in Typum illius luminis , cujus Sacramenta conficimus . Lumen hoc ſignificat etiam fidem Populorum , quos ut diximus denotant Candelabra , *Innoc. III* vel Charitatem Chriſti in Sacrificio *ex Auguſt. ſerm.* 215. vel quia expectamus ſponſum cum lumine *ex Hieronym. Ep.* 20. vel ad devotionem excitandam , *Sot.* 4. *diſt.* 13. Unicum lumen ſufficere in neceſſitate concedit *Azor. lib.* 20. *cap.* 28. *queſt.* 5. & ex cera eſſe debet : unde dicti fuere Ceroferarii ; Cereorumque mentio eſt apud Sanctos Patres . *Azor.* tamen loco citato , ſebaceum lumen ex ſevo adihberi poſſe concedit in neceſſitate . Cavendum eſt autem a numero Candelarum ſuperſtitioſo , (contra quem *Conc. Trid. ſeſſ.* 22.) & a numero ambitioſo ; nam in Miſſis privatis , niſi aliud exigat ratio Feſti accendere quatuor candelas in Altari non convenire Vicariis Generalibus , licet ſint Prothonotarii , ſicuti nec eiſdem miniſtrari a duobus Cappellanis decrevit *S. R. C.* 7. *Aug.* 1627. Sine ullo lumine licitum non eſt celebrare etiam ad communicandum infirmum moribundum , ut Auctores ſentiunt probatiſſimi , & conſequenter a culpa lethali immunis non eſt , qui totam Miſſam , vel etiam partem illius notabilem in quo-

cum-

cumque caſu nullo ardente lumine celebrare auderet . Neque extinguenda ſunt lumina a Miniſtro antequam ultimum Evangelium abſolutum omninò fuerit ; Illudque extinguitur primò quod extat in cornu Evangelii , deinde alterum in in cornu Epiſtolę ; ut ſtatim Miniſter Miſſale accipere poſſit cum birreto Sacerdotis.

Candelarum Benedictio *V. Purificatio B. M.*

Candelę , ſeu Faceş in exequiis Defunctorum, in uſu fuerunt etiam in ęxequiis Beatæ Virginis Deiparę , *ex Nicephor lib.* 2 *cap.* 22. In funere Cypr. *ex actis Pontii* & circa funus Conſtantini *ex Euſeb. lib.* 4. *cap.* 66. *vitæ ipſ. Conſtant.* Ad ſignificandum animas vivere, & Defunctos filios lucis eſſe; lege *Durand. lib.* 1. *de Ritu cap.* 23. Ex Cera communi deberent eſſe , *ex Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 11. , quę luctum indicare videtur . Si accendendę ſint Candelę in Miſſa Solemni pro Defunctis, ita tempeſtivè diſtribuantur in Choro , ut omnes ſint accenſę dum cantatur Evangelium : Accenduntur etiam paulò ante Elevationem SS. Sacramenti, ut tempore Elevationis ſint accenſę , & teneantur ſic ardentes uſque ad Communionem incluſivè . *Bauldry part.* 3 *cap.* 13 *Caſtald. lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 15. *&* *Gavant.* qui & myſticam addit ſignificationem ; Ritè enim , ait , ardent ad Evangelium , quo geniti ſunt Defuncti ; item ad Elevationem Sacramenti , quo enutriti fuerunt ; Et ad Abſolutionem, qua in Cęlos evehi eoſdem deſideramus.

Canon Gręca vox , quę *Regula* latinę ſonat, Miſſę pars pręcipua quam *S. Gregorius lib.* 7. *Epiſt.* 63. precem etiam nominavit. Regulam item Eccleſiaſticam *S. Ambroſ. in Epiſt. ad Timoth. cap.*

Digitized by Google

2. Legitimum *Optatus Milevitanus lib. 2. contr. Parmen.* Secretum *Baſil. de Spirit. Sanct. cap.* 27. Ordinem precum *Iſid. 1. de Divinis Off. cap.* 15. Atque *a Dionyſio* dicitur Actio, quia *ex Walfrid. cap.* 22. in ea actione eſt legitimus Ordo, & regula fixa, & ſtabilis ad Sacramenta conficienda. Auctor illius neſcitur. Sunt tamen qui a S. Clemente Alexandr. conſcriptum fuiſſe Canonem arbitrantur, alii a Gregorio Magno, vel a quodam ſcholaſtico, ut ex Gregorii Epiſt. eruitur; Alii demum alios Canonis faciunt auctores; Illud tamen pro certo habendum videtur, quod Canon antiquior ſit omni memoria, ut ait *Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap.* 20. Vigilius namque Pontifex ante Gregorium in Epiſtola ad Eucherium, diſertè teſtatur, quod Canonem ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus; quod pariter Tridentinæ Synodi auctoritate firmatur, quæ *Seſſ.* 22. *cap.* 4. docet conſtare Canonem ex ipſis Domini verbis, ex Apoſtolorum traditionibus, ac SS Pontificum inſtitutionibus. Obſervandum autem cum *Card. Bona, Petro le Brun Grancolas, Bellotte*, aliiſque Scriptoribus, neminem ex Pontificibus poſt Gregorium Magnum quidpiam Canoni vel addidiſſe, vel immutaſſe.

Canon dicitur ſecretò multis de cauſis; Primò quia ſecretum Myſterium eſt *Hugo Vict. Erud. Theol. in Specul. Eccl. cap.* 7. Secundò, quia ſignificatur in hoc Sacrificio latere Sacrificia antiqua *Amalar. lib.* 3. *cap.* 19. Et è contra hoc Sacrificium latuiſſe in antiquis, *Gemma lib.* 1. *cap.* 40. Tertio, quia in Paſſione Chriſti Diſcipuli nonniſi occultè confitebantur Chriſtum, *S. Thom. part.* 3. *queſt.* 81. *art.* 4. Quarto, ut videatur

Sa-

Sacerdos loqui cum Deo, quo cum corde magis clamantes loquimur, quàm ore. Poſtremò, aliis plurimis cauſis prętermiſſis, ne ipſa verba in Sacrificio potiſſima, aſſiduitate aurium vileſcant, *Alcuin. de celebr. Miſsę*. Nam repetuntur in omni Miſſa, & memorię facilè mandantur. Qua propter ex communi Doctorum ſententia graviter peccant, qui Canonem, vel notabilem partem eorum, quę ſecretò, & ſubmiſſa voce legi debent, altè recitarent in Miſſa. Diſputant autem Auctores quanta vocis elatio requiratur, ut culpa gravis perpetretur: Communiter tamen veniale eſſe ſi ita altè proferantur quę ſecretò dicenda ſunt, ut audiantur ad ſex, vel octo paſſus; ſi verò audiantur ad quadraginta paſſus mortale eſſe docent. Quod ſi intra decem paſſus Populi magna pars contineretur, & verba tam altè pronuntiata eſſent, ut audiri intra idem ſpatium poſſent, tum quoque mortale eſſe affirmant; quia ratio, ob quam prohibetur alta horum verborum prolatio eſt, ut ſupra diximus *cum Alcuin.* ne verba tam ſancta, & ad tantum Myſterium pertinentia vileſcant, dum penè omnes memoriter ea retinentes, per vicos, & Plateas decantarent. Prętereundum tandem non eſt, quod Theologus quidam optimè & piè hac de re ſcribit: *Ego*, inquit, *ſententiam peccati mortalis ſuper hac vocis elatione, quę ad octo, vel decem paſſus audiri poſſit pronuntiare non audeo. Illud dico, eum peccare, qui alta voce præfata verba pronuntiat. Quando autem contingat peccatum mortale nec nè, penitus ignoro. Sacerdoti devotè celebranti ſat eſt, ſcire ſe peccare, dum alta voce verba*

Canonis profert; *Qui enim in tam ſancta actione quodlibet peccatum etiam veniale non horret, & illud cavere non curat, indignè celebrat*. De ſingulis autem Canonis partibus erit ſuis locis agendum prout occurrent in Alphabetico ordine.

Canonici tenentur omninò Miſſam cantare de die, ut lucrentur diſtributiones. *S. R. C. 25. Jun.* 1611. Neque Miſſam Conventualem omittere poſſunt ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis, (ſalva tamen Rubrica, dę Miſſis Votivis, & Defunctorum pro Miſſa Principali aliquibus diebus dicendis) *eadem S. R. C. 16. Jan.* 1627. Si quiſpiam Canonicus veniat inchoato jam Officio, vel Miſſa abſque eo, ut aliquos ſalutet, vel ab aliis ſalutetur, ſtatim genuflectit in medio verſus Altare aliquantulum orans; mox ſurgit, & facit profundam reverentiam Altari, & Epiſcopo, ſi adeſt; deinde ſalutat Canonicos, ~~& alios~~ de Choro circumſtantes, tunc, & non prius ei aſſurgentes, & eum reſalutantes, & vadit ad locum ſuum. Et ſi fortè tunc eſſet principium horarum, & diceretur in Choro, *Deus in adjutor.* vel *Gloria Patri &c.* aut Hymnus, vel in Miſſa oratio, aut Epiſtola, aut Evangelium; vel denique aliud fiat ad quod Chorus vel ſtat, vel eſt inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram expectabit reſpectivè ſtans vel inclinatus, vel ſeparatim genuflexus in medio Chori, prout ipſe Chorus donec ea perficiantur; mox factis reverentiis, & ſalutationibus, ut ſupra, ibit ad locum ſuum.

Canonici, & Dignitates Cathedralium Annulo uti non poſſunt in celebratione Miſſę, quod tamen de Annulo intelligendum eſt cum gemma; nam *S. R. C. 4. Aug.* 1563. propoſito ſibi dubio reſpondit

dit *in una Dalmatiarum* quod = Poſſunt Canonici Miſſam Celebrare cum Annulo aureo, & de rigore uti, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie. In Miſſa Solemni licet ipſi ſint in Officio Diaconi, vel Subdiaconi, numquam Cruci genuflectere tenentur, ſed ſolum prout Celebrans profundè inclinare, *Bauldry part. 2. cap. 9. art. 2.* Dignitate vel Canonico Celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores inſervire debent, non obſtante contraria conſuetudine. Functiones, quę ſpectant ad Epiſcopum, eo impedito, vel abſente, ſpectant ad Primam Dignitatem, qua impedita, (*ex Decr. S. R. C. 29. Nov. 1670.*) ſuccedat Secunda Dignitas, & Secunda etiam impedita ſuccedat Tertia, & ſic ſucceſſivè; Omnibus autem Dignitatibus impeditis vel abſentibus, primus Canonicus id exequatur. Hujuſmodi verò Functiones ſunt, Feſtum Nativitatis Domini, Epiphanię, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſię Cathedralis, Tituli ejuſdem Eccleſię, Patroni Civitatis, nec non Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, Diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, Celebratio Officii Fer. V. in Cœna Domini, Ferię VI. in Paraſceve, Feſtum Paſchatis Reſurrectionis D. N. & dies Solemnis Corporis Chriſti cum Proceſſione, *S. R. C. 3. Decemb. 1672.* Dignitatibus, & Canonicis reverentia eſt exhibenda a Beneficiatis quidem, ſicut a Ceremoniario, & aliis Clericis profunda inclinatione: minus tamen profunda preſente Epiſcopo; a Canonicis verò a-

aliis ſuis Canonicis Collegialibus reverentia mediocri inclinatione eſt exhibenda, ut *ex Bauldry part.* 1. *cap.* 9. Concionatores debent primum Canonicos quam Civitatis Gubernatorem, & Magiſtratus ſalutare. *S. R. C.* 3. *Oct.* 1615. Canonicis, & Dignitatibus Cathedralium profundam reverentiam facere debet Diaconus non ſolum ante, ſed etiam poſt Thurificationem, *ex Cęrem. Canon. Reg. cap.* 24. Non tenentur Canonici ad Benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed tantum caput inclinare; nec debent genuflectere quando Epiſcopum Celebrantem Thurificant. *S. R. C.* 4. *Maii* 1613. Ubi habitus Dignitatum eſt diſtinctus, ac diverſus ab habitu Canonicorum, quamvis Canonici ſint impares numero, non ſunt conjungendę Dignitates cum Canonicis in Proceſſionibus, ſed tres ultimi Digniores, tam ex illis, quam ex ipſis incedunt ſimul in eadem riga. *S. R. C.* 3. *Jun.* 1617. Cętera autem ad Dignitates, & Canonicos ſpectantia, de Miſſa Solemni, de Proceſſionibus ſingillatim, ac de aliis Eccleſię functionibus agentes trademus.

Cantores. Nomine Cantorum intelligimus Clericos, ſeu Cappellanos deputatos ſingulis Hebdomadibus ad cantandos verſus ſpeciales, Antiphonas, Reſponſoria, ad incipiendos Pſalmos, Cantica, & alia hujuſmodi. *Bauldry part.* 1. *cap.* 6. ſingulis Hebdomadibus, ſi fieri poteſt, mutentur Sabbato ad Veſperas viciſſim, adeò ut dignior, ſi fieri poteſt, ſit primus Cantor, & ex Choro Hebdomadarii, alter vero ſit in altera parte Chori, qui primo Cantori reſpondeat, cum opus eſt, quique Succentor appellari poteſt.

I-

Idem Bauldry ſupra. Cantores qui actu cantant ſtare debent, & Veſtis eorum propria eſt Pluviale, *Honor in Gemma lib. 1. cap.* 227.

Cantor ſi eſt Dignitas in Cathedrali, debet ſuum munus obire, vel per ſe ipſum, vel per Vicecantorem ante ſumendum ab Epiſcopo approbandum, qui non ſit de iis, qui alioquin Choro ſunt obligati. *S. R. C.* 19. *Maii* 1611. Archipresbyter, ſeu alia Dignitas non debet ſe intromittere in regimine Chori, quod ad ſolum Cantorem, ſeu Primicerium pertinet. *S. R. C.* 3. *Sept.* 1605.

Cappa. *V. Pluviale*, *&* *Planeta*.

Cappa Magna, ſeu longa cum Cappuccio pellibus, vel ſerico ſecundum temporum exigentiam ſubſuto; ea utuntur Cardinales, Epiſcopi, & in multis Cathedralibus etiam Canonici. Romę verò in Eccleſiis Patriarchalibus, Beneficiati quoque Cappa Magna utuntur (ut hic Piſtorii in Cathedrali Eccleſia ex Privilegio Clementis Noni); ſed differt a Canonicali in colore Pelliceę: Nam Beneficiatorum, (ſeu Cappellanorum hic Piſtorii) eſt Cinericei Coloris; Canonicorum vero Candidi Armelini. Cappa hęc ab habitus Monachalis forma deſumpta fuit, quando hi Eccleſiam gubernarunt; & dicitur *Cappa Choralis*, a Matthęo Pariſio. Igitur Cappa ſignificat Sacerdotalis Dignitatis eminentiam, *Rupert. cap.* 1. *Apocal.* Caudę verò longitudo denotat, quod uſque ad diem extremum Judicii ſit Dignitas Sacerdotalis duratura: Defertur tamen hæc cauda ſub brachio involuta, & plicata; quia dignitas Eccleſiaſtica manifeſtari non debet, niſi urgente neceſſitate ad Dei honorem, & animarum ſa-

ſalutem . Pellis , quę in collo ejuſdem , & circà pectus ſubſuta eſt , Pręlatum meminit peccatorem eſſe , *D. Auguſt. contra mendacium cap.* 10. ſeu ut Origeni placet ob mortis memoriam. *Petrus Morettus* uſum Capparum cenſet a Canonicis Regularibus , ſeu Clerico = Monachis originem trahere , & colligit ex ipſorum Canonicorum ordinis Conſtitutionibus.

Cappella fuit apud antiquos pia Domus itineraria ex pellibus Caprarum fabricata , & a pellibus his Cappellas , earumque Cuſtodes Cappellanos vocitabant. *Gemma verò lib.* 1. *cap.* 128. deducit Cappellam a *Capeno* , quod ſignificat Domum , ad quam confluunt pauperes pro recipienda eleemoſina ; quod verè congruit Cappellę Eccleſiaſticę , in qua velut mendici oramus Deum . Addit *Durand. lib.* 2. *de Rit. cap.* 9. idem eſſe in Gallia apud ruſticos Cappam , & tugurium , quam Itali Cappannam dicunt : & fortè indè duplici pp. dicta eſt Cappella , quaſi ſit tugurium Deo minus dignum . *Baron. in notis Martyr. ad diem* 11. *Jun.* docet Cappellam , & Cubiculum , de quo *Matth.* 6. *intra Cubiculum tuum* , *& ora* , eſſe idem ; Cubiculariosque SS Petri , & Pauli a S. Leone conſtitutos , *ut dicitur in Brev. Rom.* , fuiſſe Cappellanos: Notat etiam Oratorium , & Sacellum , minus tamen propriè , idem ſignificare : Recentius autem Oratorium , quàm Cubiculum appellatum eſſe ; & Sacellum , quàm Oratorium .

Cardinalis , vel Legatus , in ſuo habitu poſt oſculum Evangelii thurificatur etiam coram Epiſcopo loci , ob dignitatem Cardinalitiam.

Cardinales ubique terrarum aliquam habent jurisdictio-

ctionem, & ſummam in toto Orbe præeminentiam *Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 4. tamquam Conſiliarii Papę, undè & ubiquè Mozzettam, ſeu Birrum lacernum induunt, indicium juriſdictionis; & eſt (colore rubeo excepto) veſtis Epiſcopalis, *apud Baron. de S. Cypriano* Anno 261. Plura de Birro *Gabriel Pennotus in Hiſtor. tripartita Canon. Reg. lib.* 1. *cap.* 22. Quid ſervandum coram eis in Miſſa privata, *V. Miſſa quę celebratur coram Summo Pont.*, *Cardinali*, *Epiſcopo &c.* S. Communicet Cardinalis in Miſſa Solemni, quo Ritu; *V. Miſſa Solemnis de Communione diſtribuenda*.

Caſula *V. Planeta*.

Cathecumeni in varias Claſſes dividebantur; quidam enim ab infidelitate, ad fidem converti deſiderantes, audiebant in Eccleſia verbum Dei, & dicebantur, *Audientes*, alii in fide rectè inſtructi, audito ſermone procumbebant in genua, & Baptiſmum petebant, & appellabantur *Competentes*; nempè *ſimul petentes*. Qui verò ex iſtis in albo Baptizandorum deſcripti erant, nuncupabantur *Electi*. Catechumeni *Audientes* compellebantur ab Eccleſia exire ſtatim poſt dictum Evangelium, vel peractum ſermonem, ideoque ea Miſſę pars ab Introitu, uſque ad Offertorium excluſivè Miſſa Cathecumenorum dicebatur. *Competentes* verò dimittebantur ab Eccleſia ſolum immediatè ante Conſecrationem, cum pro ipſis aliquantulum a Fidelibus preces funderentur: undè ad Orationem, quę fit ſuper Cathecumenos expectantes genua flectebant; quando autem pronunciatum fuerat a Diacono: *Catechumeni procedite*: tunc, & ipſi exibant. Ce-

Cereus accendi debet *ex Rubr.* ad Elevationem in parte Epiſtolę, quia Miniſter in eadem parte genuflexus reperitur paulò ante Conſecrationem. Verum ratione feſti Solemnioris poterunt etiam accendi duo Cerei ad Elevationem in utraque parte ad excitandam magis Circumſtantium fidem, quę lumen eſt. Hi autem Cerei, *ex Hieronymo Epiſt.* 20. *ad Marcellam*, in Signum adorationis accenduntur.

Cereus Paſchalis *V. Sabb. Sanctum* ad Bened. Cerei.

Chorus. Presbyterium etiam dicitur, & Sanctuarium Altaris; ſed Chorus propriè ſonat, *ex Auguſt. in Pſ.* 49. conſenſio cantantium, undè, & Corona dicitur *ab Iſidor. lib.* 1. *de Off.* quia in modum Coronę efformat ait *Amalar*. A Gręca voce *Chorea*, quę ſignificat lętitiam deducit *Gemma lib.* 1. *cap.* 139.

Cineres de combuſtis ramis Palmarum, ſive Olivarum pręcedenti Anno in Dominica Palmarum benedictis capiti imponuntur Fer. 4. poſt Quinquageſimam *ex ord. Rom.* ut recordemur originis, & finis noſtri, *ex Rupert. lib.* 4. *cap.* 10. Ad ſolos publicos pęnitentes olim hos ſacros Cineres pertinuiſſe, quibus ſupradicta feria 4. omnes aſpergi ſolemus, *ex Reginon. Thomaſin. Martene, & S. Iſid. Hiſpal.* compertum eſt. Qui quidem publici pęnitentes prę foribus aderant Sacrarum ędium cilicio, & ſacco induti, nudis pedibus, & omnia pręſeferentes demiſſionis argumenta; aderat quoque Epiſcopus, & Presbyteri, quibus pęnitentium flagitia, & mores perſpecti erant, debitaſque pęnas eis imponebant, deinde aſpergebant eos aqua luſtrali, & Sacro Cinere, aliaque pręſtabantur, ut videre eſt apud ſupra citatos Auctores. Succedentibus

ve-

verò temporibus aliqui pietate inſignes harum publicarum humiliationum participes eſſe voluerunt, & Cinere ſacro etiam conſpergi cum publicis pęnitentibus, quod poſtea tam multi imitati ſunt, ut in communem jam tranſierit conſuetudinem ſęculis XII. & XIII. Poſtquam ceſſavit in Eccleſia diſciplina publicę pęnitentię, nulla alia remanſit in Eccleſia ſaltem Occidentali reliquia ejuſdem pęnitentię, niſi hęc Cinerum aſperſio in ſupradicta Feria 4. in capite Jejunii appellata, & Quadrageſimalis Jejunii obſervantia. Ut autem ſolemnis benedictionis Cinerum Ritus breviſſimè explicetur, animadvertendam, quod ora competenti parari debet Altare majus ſimpliciter cum ſex Candelabris de more, & ſine aliis ornamentis, quę ſolemnitatem ſapiunt. Color antipendii, ſicut & omnium Paramentorum debet eſſe violaceus. Item ſuper Altare pręparabitur Miſſale in cornu Epiſtolę ſuper pulvino violaceo, vel legili; inter dictum Miſſale verò, & cornu Epiſtolę collocabitur vas argenteum, ſeu ex alia decenti materia confectùm cum Cineribus de combuſtis ramis Olivarum pręcedenti Anno in Dominica Palmarum benedictis. Dictum autem vas debet eſſe coopertum vel operculo ſimili, vel velo violaceo uſque ad Benedictionem Cinerum, *ex Biſſo, & Caſtaldo*. Cineres autem debent eſſe aridi, non in modum luti, ut declaravit *S. R. C.* 23. *Maii* 1603. Finita Nona, (numquam verò poſt Tertiam *ex Decr. S. R. C.* 22. *Jan.* 1701.) Celebrans Stola, & Pluviali cum Alba (*vel Alba, & Stola tantum in minoribus Eccleſiis*) paratus & Miniſtri cum Planetis plicatis, ſed ſine Manipulis. (*vel in*

Ec-

Eccleſiis minoribus in Albis cum Stola Diaconus) procedunt è Sacriſtia ad Altare majus, precedentibus Thuriferario ſine Thuribulo , & Navicula , (nam ſuper Credentiam parata eſſe debent) ſed manibus junctis , habente ad ſiniſtram alium Acolytum etiam manibus junctis miniſtraturum vas aquę benedictę pariter ſuper Credentiam pręparatum , deindè ſequuntur Ceroferarii cum Candelis accenſis ; quos ſequitur Cęremoniarius : denique Miniſtri Sacri hinc , inde a lateribus Celebrantis manu proximiori (altera infra pectus admota) fimbrias anteriores Pluvialis Celebrantis elevantes unuſquiſque a parte ſua , & hi tres tecto capite procedunt , Celebrans verò manus junctas tenet ante pectus . Si tamen Celebrans non habeat Pluviale , tunc Miniſtri Sacri procedunt ad Altare unus poſt alium manibus junctis ante pectus , & capite tecto , *Bauldry part.* 4 *cap.* 3. *Biſſus Lit. B. num.* 84. §. 2. Cum ad Altare pervenerint , illud reverenter ſalutant cum debitis reverentiis nudo capite , deindè Clero ab iiſdem fit ſolita reverentia , ut in Miſſa Solemni, poſtea aſcendunt ad Altare , quod Celebrans oſculatur in medio Miniſtris Sacris unico genu flectentibus ; Ceroferarii interim deponunt Candelabra ſuper Credentiam , & apud illam ſtant : Mox Celebrans , & Miniſtri Sacri ad librum poſitum in cornu Epiſtolę accedunt , ubi ipſe Celebrans ſtat inter utrumque Miniſtrum , ita tamen ut Miniſtri aliquantiſper ab Altari diſtent. *Biſſus Lit. B. num.* 86. & Celebrans legit ſubmiſſa voce , & manibus junctis Anthiponam *Exaudi Dom.* quę interim in Choro cantatur ad

mo-

modum Introitus Miſſę. *Bauldry part. 4. cap. 4. art. 1. & Biſſus ſupra*. Qua cantata Sacerdos adhuc ſtans in cornu Epiſtolę, non vertens ſe ad Populum, dicit manibus junctis *Dominus vobiſcum*, & Choro reſpondente ſubdit ſtatim, manibus item junctis, quatuor Orationes ſequentes ut in Miſſali (junctę enim manus debent teneri ad Orationes in omnibus Benedictionibus ex Miſſali) & etiam *Oremus* dicit manibus junctis, caput Cruci inclinando de more, *Nicol. de Bralion part. 3. cap. 5. num. 4.* In Choro autem hoc tempore omnes ſtant facie ad Altare verſa. *Bauldry, & Biſſus loc. cit.* Dum Celebrans dextera format ſignum Crucis ſuper Cineres, ſiniſtram ponit ſuper Altare, & Diaconus a dexteris Celebrantis elevat anteriorem fimbriam Pluvialis, ne eum impediat. *Gavant. Bauldry, & Caſtald.* Completis Orationibus Sacerdos ibidem ponit incenſum in Thuribulo, more ſolito illud benedicens per illa verba: *Ab illo benedicaris &c.* Miniſtrante Thuriferario Thuribulum, & Diacono Naviculam, ut mos eſt, quo facto Thuriferarius aliquantuſum recedit, & Naviculam reponit ſuper Credentiam ſolo Thuribulo retento; interim Acolytus tenens vas aquę Benedictę accedit ad Diaconum, eique ſine oſculis porrigit Aſperſorium, quod poſtea Diaconus cum oſculis Aſperſorii, & manus, porrigit Celebranti, *ut notat Gavant.* qui eo accepto dicens remiſſiori voce ℣ *Aſperges me &c.* ſine cantu, & ſine Pſalmo, ter aſpergit Cineres, in medio ſcilicet, a dextris (ideſt in parte ſuę ſiniſtrę oppoſita) & a ſiniſtris. Deinde reddito Aſperſorio Diacono, ab eodem accipit Thu-

Thuribulum cum oſculis (porrectum ipſi Diacono a Thuriferario ſine oſculis) & ter incenſat Cineres eodem modo, quo aſperſit, nihil tamen dicens; & poſtquam incenſatis Cineribus reddiderit Diacono Thuribulum, ſe recipit ad medium Altaris; ibique nudo capite (*ex Decr. S. R. C.* 18. *Jul.* 1626. in quo pręſcribitur, quod Cineres, Candelę, & Palmę diſtribuantur a Celebrante detecto capite) ſtat converſus ad Populum medius inter Diaconum a dextris tenentem vas Cinerum, & Subdiaconum a ſiniſtris, omnes aliquantulum ab ejuſdem Altaris fronte diſtantes; Interim Cęremoniarius accedit ad digniorem Sacerdotem de Choro, & facta ei reverentia eum ducit ad Altare cum ſuo habitu Chorali, ſed ſine Stola, *ex Decr. S. R. C.* 14. *Febr.* 1705. quo cum pervenerit habens pręfatum Cęremoniarium a ſiniſtris, accedit (facta Choro debita inclinatione) ad Altare cum genuflexione ſi non ſit Canonicus (quod ſi adſit Tabernaculum SS. Sacramenti etiam ſi Canonicus genuflectere debet) factaque poſtea Celebranti profunda reverentia, aſcendit ad proximiorem gradum ſuppedaneo Altaris, ubi ſtans imponit Cineres ſuper caput Celebrantis, ſtantis quidem, & non genuflexi, ſed capite inclinato, & manibus junctis, *Biſſus*, *& Bauldry*. Et dum dictus Sacerdos Cineres imponit, format ſuper caput ipſius Celebrantis ſignum Crucis dicendo interim, *Memento Homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Si non adſit alius Sacerdos pręter Celebrantem, tunc ipſemet Celebrans genuflexus utroque genu ſuper ſuppedaneum Altaris facie ad illud verſa, ſibi ip-

ipſi imponit Cineres in capite, nihil dicendo, ſed ſolum formando ſignum Crucis ſuper caput ſuum; quaſi Cineres a Chriſto immediate accipiat. Diaconus autem, etiamſi eſſet Sacerdos, non deberet Cineres Celebranti imponere, cum in eo officio ſit Miniſter Celebrantis, & conſequenter illo inferior, *Biſſus*, *Bauldry*, & *Corſett. tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 3. Huc ſpectat exhibere ſequens Decretum: Cineres Epiſcopo miniſtrare *Fer.* 4. *Ciner.* non ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum eo die celebrantem pertinet. *S. R. C* 28. *Maii* 1616. ſic etiam habetur *in Cerem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 8. Tunc autem ſedet Epiſcopus officium faciens ſine Mitra, & ſine Bireto, & Canonicus celebraturus Miſſam ſolus accedit ad eum, facta Altari, & Epiſcopo reverentia, & imponit Cineres in caput ipſius ſedentis dicens; *Memento Hom. &c.* quo facto Epiſcopus accipit Mitram, & extenſa ſuper ejus gremio mappa munda per duos Acclytos, imponit Cineres eidem Canonico Celebranti ante ſe inclinato dicens, *Memento &c*, Atque hic notandum, quod ſacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatio in una Lucana, ut habetur apud *Nicolium in Floſculis verb.* Mitra *ſub n.* 2. declaravit, quod Candelę, Cineres, & Palmę diſtribuuntur ſtando cum Mitra in capite ab eo, qui habet privilegium eam geſtandi. Dum incipitur diſtributio Cinerum; in Choro cantatur Antiphona; *Immutemur habitu &c.* & alia, quę Chorus proſequitur, & ſi ſit magnus Populi concurſus, repetitur, uſque ad finem diſtributionis. Videant autem Cantores, ne deſint Clerici, qui continuò cantent, ideò

poſt

poſt reditum priorum , ii cantent, & alii procedant ad Cineres capiendos , vel ſi ſint pauci , unus poſt alium procedat, *Biſſus*, *&* *Bauldry*. Celebrans poſtquam a digniori Cineres acceperit , ſtans in medio ſuppedanei aperto capite , & habens Diaconum a dexteris tenentem vas Cinerum , prius imponit Cineres Sacerdoti digniori , a quo ipſe Cineres accepit, genuflexo (niſi ſit Canonicus) ſupra ſuppedaneum Altaris , manibus junctis, & capite inclinato, quod & alii obſervabunt in accipiendis Cineribus. Immediatè poſt digniorem Sacerdotem pręfatum accedunt Miniſtri Sacri , facta prius Altari genuflexione , & Celebranti reverentia , & genuflexi ſuper Altaris ſuppedaneum , ambo ſimul accipiunt a Celebrante Cineres . Diaconus verò accepturus Cineres , tradit vas Cinerum Ceremoniario , vel alteri : vel illud deponit ſuper Altare , *ex Ritual. Monaſt. Reform. Monac. S. Bernardi lib.* 3. *cap.* 5. & acceptis Cineribus, illud recipit denuò , & tunc iterum ſe locat ad Celebrantis dexteram , & Subdiaconus pariter ad ſiniſtram, ubi erat prius, *Biſſus*, *&* *Bauldry*, *atque alii* . In Eccleſiis autem Cathedralibus, ubi aliqua Dignitas, vel Canonicus aliquis celebret, & Beneficiati, ſeu Manſionarii miniſtrent, tunc poſt digniorem de Clero prius excipiunt Cineres Canonici omnes , quamvis non ſint parati, & quidem ſtantes , non verò genuflexi ; & poſt eos ſuccedunt Miniſtri Sacri Beneficiati ut ſupra licet ſint parati. Quod ſi Miniſtri hi Sacri eſſent pariter Canonici [quod curandum eſſet , nam *ex Decr. S. R C.* 8. *&* 21. *Mart.* 1631. Dignitate, vel Canonico ſolemniter celebrante, Canonici pa-

pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores inſervire debent, non obſtante contraria conſuetudine &c.) tunc poſt prefatum digniorem de Clero, Miniſtri ſtantes, capite tamen inclinato, ante omnes alios ſacros Cineres recipiunt. Poſtea accedunt alii de Clero ad Altare primo quidem majores, deinde inferiores bini ſimul vel unus poſt alium, & facta debita reverentia tam ipſi Altari, quàm Celebranti, genuflexi ſuper ſuppedaneum manibus junctis, & capite inclinato Cineres a Celebrante accipiunt, manus tamen Celebrantis non oſculando, quia commode fieri non poteſt. Notandum quod Canonici Collegiatarum non ſtantes ut Canonici Cathedralium, ſed genuflexi Cineres accipere debent, niſi immemorabilis conſuetudo obſtet, ut docet *Bauldry*. Superior autem Eccleſię quando ab alio accipiat Cineres, ſi ipſemet functionem tunc non faciat genuflectere non debet, quod de Candelis etiam, & Palmis dicendum eſt. Datis Cineribus Clero ad Altare, ibi etiam dantur Magiſtratui, & Nobilioribus genuflexis, manibus junctis, quod pariter cum ipſis ſervandum erit in Candelarum, & Palmarum diſtributione. Populus autem extra gradus Altaris ad Cancellos congruentiùs recipit Cineres. Advertat autem Sacerdos, ne Mulieribus imponat Cineres ſuper velum, ſed omninò ſuper capillos, ne benedictus Cinis ſupra velum deperdatur. Completa totaliter Cinerum diſtributione Celebrans procedit ad latus Epiſtolæ per planum, & ibi prope Credentiam lavat manus cum aqua, & mica panis, fundente aquam aliquo Acolyto, & Miniſtris Sacris miniſtran-

ſtrantibus manutergium. Lotis manibus, & exterſis Celebrans aſcendit per laterales gradus ad cornu Epiſtolę ſuper ſuppedaneum, ibique ſtans verſus Altare manibus junctis medius inter Miniſtros Sacros, cantat in tono feriali *Dominus vobiſcum* & or. *Conc.* ut in Miſſali; Qua terminata deſcendit in planum Altaris, ubi depoſito Pluviali, capit in plano a cornu Epiſtolę non autem in medio (quod tantum Epiſcopis conceditur) Manipulum, & Planetam violaceam, ſicut & Miniſtri ſuos Manipulos ſumunt; deinde cum debitis reverentiis Choro, ſi ante ipſum tranſeunt, accedunt ad medium ante infimum Altaris gradum, ibique facta debita reverentia Altari, Celebrans incipit Miſſam more ſolito; Sacerdos enim, qui celebrare debet hanc Miſſam, debet eſſe ille idem, qui benedixit Cineres *ex Decr. S. R. C.* 12. *Jun.* 1627. Tractus *Domine non ſecundum peccata noſtra &c.* dicitur in hac Miſſa, & repetitur in Feriis Secundis, Quartis, & Sextis per totam Quadrageſimam non *ex Ord. Rom.* (inquit Microlog. cap. 50.) ſed ex noſtra devotione; ex quo Tractu dum Celebrans privatè legit ℣. *Adjuva nos &c.* genuflectere debet unico tantum genu ad prima verba, ut commodius poſſit legere ℣. in libro, & ſtatim ſurgere; Sed dum cantatur iſte ℣. in Choro, genuflectunt omnes, exceptis duobus Cantoribus, & antequam inchoetur, Celebrans, & Miniſtri Sacri deſcendunt ad ſecundum gradum Altaris, ut dum cantatur *Adjuva nos Deus* a Choro, ſtatim genuflectant in ſuppedaneo Altaris utroque genu, quod eſt omninò ſervandum, & ideo debet Celebrans ſe expedire a le-

gen-

gendo Evangelio ſubmiſſa voce, quod ſupponimus potuiſſe legere ante initium ℣. ℣. præſertim ſi cantatur a Choro Graduale, vel alii ℣. ℣. Tractum antecedentes ita lentè, ut prefatus Celebrans; dum cantatur commodè legat Evangelium, ne intra Tractum, & ℣. *Adjuva nos* ſilentium interponatur, ad quod Cantores omninò advertere debent. *Bauldry*, *Biſſus*, & *Vinitor*.

Cingulum, quo Sacerdotes Albam precingunt tribus nominibus compellatum eſt; nimirum Cingulum, Zona, & Baltheum. *Ex Decr. S. R. C.* Sacerdotes congruentius utuntur Cingulo lineo, (& quidem albo) quam ſerico. Eademque *S. R. C.* 8. *Jun.* 1709. declaravit Sacerdotes poſſe uti Cingulo coloris Paramentorum. Cingulum indicat ſeptem. Diſcretionem moderatricem virtutum omnium *Alcuin*. Continentiam, *Amalar. lib.* 2. *cap.* 22. Cuſtodiam cordis *Gemma cap.* 203. Caſtitatem corporis *Hugo Vict. in ſpecul. Eccleſ. cap.* 6. Fervorem continentie, ne ſit remiſſa *Baban. cap.* 17. & concordat cum Oratione propria; Arcum contra hoſtes *Gemma lib.* 1. *cap.* 83. Fortitudinem *Hyſich. lib.* 3. *in Levit.*

Circumciſionis Domini Feſtum cum Octava Nativitatis celebratur; atque in vetuſtiſſimo Gellonenſis Monaſterii Sacramentorum Libro tres reperiuntur Miſſe in die Circumciſionis adſignate, quarum prima, & ſecunda inſcribitur *in Octava Domini*, Tertia inſcribitur *Miſſa ad prohibendum ab Idolis*. Secunda tamen eſt de B. Maria, ut indicant Orationes; & reverà in veteri Frontoni Calendario ante Ann. 900. exarato, due tantum Miſſe indicantur; prima de octava

Nativitatis, ſecunda verò de Sancta Maria, quę etiam tempore Durandi celebrabantur in dicta die, ut ipſe aſſeverat *in Rationali lib. 6. cap. 5.* Miſſa autem, *ad prohibendum ab Idolis* inſcripta ad reprimendas Paganorum hac die ſuperſtitiones potiſſimum inſtituta erat, quas ſuperſtitiones fuſe deſeribit *S. Auguſt. Serm.* 129. In die Circumciſionis tria ergo Feſta concurrunt, nempè B. V. M. Circumciſionis, & Octavę Nativitatis; atque in præſenti Miſſali Romano recognitò omnia prædicta tria Feſta in unum conflata videntur in Ordine Miſſæ; Nam Oratio eſt *de S. Maria*, Evangelium *de Circumciſione*, reliqua *de Octava Nat.* Et Miſſa inſcribitur, *In Circumciſione Domini, & Octava Nativitatis*. In Hiſpania Conc. Toletanum 4. habitum Ann. 633. pręſcribit abſtinentiam hac die ſervandam, & cantari vetat *Alleluja* in Officiis Eccleſiæ, ſed nequaquam loquitur de Officio Circumciſionis. E' contrà verò in Gallia Feſtum hoc Circumciſionis nomine vocatur, & Conc. Turonen. 2. habitum Ann. 567. *Can.* 17. pręcipit ea die jejunari ſicut alię Eccleſiæ hoc pręſcribebant ad profanas conſuetudines Ethnicorum (quæ Kalendæ Januarii vocabantur) expiandas, & Miſſam Circumciſionis pręſcribit. Aliqui faciunt Auctorem Feſti Circumciſionis Ivonem, qui de eo ſermonem habuit.

Collectę. *V. Orationes.*

Colores quibus Eccleſia uti conſuevit ſunt quinque, ſcilicet, Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, & Niger. Totidem enumerat Colores *Innoc. III. lib.* 1. *cap.* 65. quamvis nigrum confundere videatur cum violaceo; quatuor princi-

cipales faciens colores quatuor coloribus antiquarum Veſtium legalium reſpondentes, Biſſi, Purpurę, Hyacinthi, & Cocci, *Exod.* 28. Agitant quęſtionem Rubriciſtæ: num in Veſtibus Sacerdotalibus, & Altaris omnes ſimul quatuor colores adhiberi poſſint, & an liceat Sacerdotibus uti una Planeta indifferenter pro unaquaque Miſſa cujuſcumque generis? Primam quæſtionem reſolvit *Turrinus part.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 4. dicendo Veſtem in ſe habentem quatuor colores, ęquè apparentes, quamvis de ſingulis coloribus participet, in neutro illorum determinationem peculiarem ſumere poſſe; & proinde neque eſſe albam, neque rubeam &c. & conſequenter ea neque tamquam alba, neque ceù rubea uti poſſe extra caſum neceſſitatis. Si tamen unus ex dictis coloribus v. g. albus cęteris pręvaleat; tunc dicta Planeta erit reputanda alba, & tamquam tali uti poſſumus. Diximus extra caſum neceſſitatis non debere adhiberi dictas Planetas mixti coloris (quamvis hic ſit uſus multarum Eccleſiarum) nam in caſu neceſſitatis non improbamus talem uſum: quia ſicut in hoc caſu poſſumus uti Veſte alba pro nigra, cum Rubrica de coloribus paramentorum non ſit tam rigoroſa; ita multo magis poſſumus uti Planeta mixti coloris. Secundum dubium reſolvit idem *Turrinus*, dicendo hoc eſſe contrà mentem Inſtitutoris Rubricarum; qui ideò colores diſtinguit, ut altera Planeta adhiberetur, altera excluderetur, & habent in ſe unuſquiſque Myſteria propria, ut infra cum *Gavanto, Durando*, & aliis dicemus. Color aureus, in Veſtibus Sacris, ut aſſerit *Quarti*

 part.

part. 1. *tit.* 18. ęquivalet cunctis coloribus, aut ſaltem rubeo, & albo, quia aurum lucidum habet, per quem albo aſſimilatur; & igneum, per quem rubeo; imo, ut affirmat etiam *Vinitor* eo nos pro albo, rubeo, & viridi uti poſſumus etiam in communi uſu, quia *ex Turrino* color auri flavus eſt, & approximat viridi; Pro violaceo autem adhiberi non poteſt color aureus, quia ut optimè dicit *Gavantus* color violaceus debitus eſt afflictioni; Hinc etiam fit non poſſe uti colore cęruleo loco violacei tam in Sacerdotalibus, quam in Altarium paramentis; Ita *Gerlacus Vinitor*.

Color albus adhibitus eſt in Sacrificiis teſte *Hieronymo contra Pelagian.* & ſignificat gloriam, gaudium, & innocentiam, *ex eod. Hier. in Ezech. & aliis Patribus*. Ideoque eo colore Eccleſia utitur in Nativitate Domini, quia natus eſt Chriſtus carens originali peccato; In Epiphania propter ſplendorem Stelle *Innoc.* In Reſurrectione, Transfiguratione, & Aſcenſione Domini, quia in Veſtibus Albis Angeli apparuerunt. In Feſtis B. M. V. quia purior ſub Deo Creatura nequit intelligi, *Damaſc.* Similique ratione in Feſtis Angelorum, S. Joannis Baptiſtę, Evangeliſtę, Confeſſorum, Virginum, In Conſecratione Eccleſię, & Summi Pontificis &c.

Color rubeus, ſeu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem; Humano ſanguini ſimilis eſt, igneam refert naturam; Ideoque eo utitur Eccleſia a Vigilia Pentecoſtes uſque ad Sabbatum ſequens propter S. Spiritus fervorem, qui in igne deſcendit *Act.* 2. & propter poteſtatis plenitudinem in igne ſignificatam, Apoſto-

liſque datam. *Ex Tebia Corona de Templis part.* 1. *cap.* 49. In Feſtis S. Crucis, quæ Chriſti ſanguine conſecrata fuit. In Feſtis Martyrum quia pro Chriſto ſanguinem fuderunt, excepto Feſto SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica, ſi autem in Dominica venerit utitur rubeo, quia Dominica eſt ſemper feſtiva, cui & idcirco eo die conceduntur Hymnus Angelicus, & Alleluja; In ejus vero die octava ſemper utitur rubeo quocumque die occurrat; octava enim glorificationem denotat *Amalar. lib.* 4. *cap.* 29. & 36. Utitur denique Eccleſia colore rubeo in Miſſa pro eligendo Summo Pontifice, quia ęquivalet Miſſę de Spiritu Sancto.

Color viridis medius eſt inter colores, *ait Innoc. III.* & ideo utimur eo in diebus ferialibus, cujuſmodi ſunt dies ab octava Epiphanię uſque ad Septuageſimam, & ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum in officio de tempore, exceptis Dominicis infra octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum ſervatur, exceptis etiam Vigiliis, & Quatuor Temporibus. *Rubr.*

Colore violaceo utitur Eccleſia afflictionis indicandę cauſa; olim niger color adhibebatur iis diebus, quibus a nobis violaceus, quo violaceo colore Eccleſia tunc temporis bis tantum in anno utebatur; nempè in feſto SS. Innocentium, & in Dominica *Lętare*; nunc autem convenientius utimur violaceo a Dominica prima Adventus ad Nativitatem Domini, & a Septuageſima uſque ad Paſcha in officio de tempore, excepta Feria V. in Cęna Domini, in qua utimur albo; Feria VI. in Paraſc. in qua utimur nigro; & Benedictione Cerei in Sabbato Sancto, in qua Diaconus illius

Prefationem dicens ſolus utitur albo (pertinet enim hæc Benedictio ad Paſchale Sacramentum *Durand. lib.* 3. *cap.* 18.) Pro aliis vero diebus, & functionibus, quibus violaceo colore utitur Eccleſia, vide *Rubricam de coloribus Paramentorum num.* 5.

Colore nigro utitur Eccleſia Feria VI. in Paraſceve, & in omnibus Officiis, & Miſſis Defunctorum; mortis enim eſt propriiſſimus color niger apud omnes, *Innoc. III.*

* In Miſſis B. M. V. in Sabbato, quando diſcordant ab Officio, puta in Sabbatis Adventus non impeditis Officio novem Lectionum, licet color paramentorum Sacerdotalium debeat eſſe conformis Miſſæ votivæ de S. M. nempè albus; color tamen Altaris, nempè antipendii correſpondet Officio, ſaltem dum recitantur Horę Canonicę, atque adeò debet eſſe violaceus: Sed dum cantatur Miſſa, inherendo *Gavanto part.* 1. *tit.* 8. & praxi omnium Baſilicarum Urbis, color debet eſſe albus.

* In Miſſis votivis primi generis, nempè de Sanctis, aut Feſtivitatibus, quæ anniverſaria celebritate recoluntur ab Eccleſia idem adhibetur color, ac in die eorumdem Feſtorum, & Sanctorum. *Quarti part.* 1. *tit.* 4. *ex Rubr. XVIII. Miſſ.* Ab hac regula tamen excipi debet Miſſa Votiva de SS. Innocentibus, in qua, ſi ut Votiva dicatur, colore rubeo utendum eſt; quamvis in die Feſto, extra Dominicam, violaceus adhibeatur. In aliis Miſſis votivis ſecundi, & tertii generis, quę exhibentur circà finem Miſſalis, adhibendus eſt color, ut ſequitur. In Miſſa de Cruce color rubeus; in Miſſa de Paſſione violaceus; In Miſſis verò de SS. Trinitate,

de Angelis, de SS. Euchariſtię Sacramento, & de B. Maria color albus eſt adhibendus. In Miſſa de Spiritu Sancto color rubeus, & de Apoſtolis, ut in eorum die feſtivo. Ad Miſſas votivas tertii generis quod attinet; pro eligendo Summo Pontifice, ſive dicatur Miſſa de Spiritu Sancto, ſive illa, quę exhibetur in fine Miſſalis pro dicta cauſa, color rubeus eſt adhibendus. Pro Creatione, & Coronatione Papę albus: & ſimiliter pro Anniverſario Conſecrationis Epiſcopi. Pro Miſſis ad tollendum Schiſma, & aliis ibi in Miſſali contentis uſque ad Miſſam pro iter agentibus incluſivè, color violaceus; ita *ex Rubrica* colligitur, & tradit *Quarti loc. cit.* Item in Miſſa pro felici morte impetranda noviſſimè conceſſa color violaceus eſt adhibendus; Ac demum in Miſſa pro Sponſo, & Sponſa color albus; *Halden.*

Regula verò in mutandis coloribus ea eſt, ut mentio fiat in primis Veſperis Feſti. Si autem Veſperę non ſint integrę, is color adhibendus eſt initio Veſperarum, qui congruit illi, de quo dicitur Capitulum. Si Officium, & Miſſa diſcordent, color Altaris ſequatur Officium; Veſtium autem Sacerdotis ſit color Miſſę conformis; quæ diverſitas accidere ſolet in Feria tertia Rogationum, & in Vigiliis infra Octavas. Pro Miſſa verò ſolemni convenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore Paramentorum Miſſę; quod rectè adnotavit *P. Ruiz in ſuo Cęremon.*

Commemorationes in Miſſis fiunt, ſicut in Officio. *Vide Rubr. de Commemor.* In Feſtis ſecundę Claſſis ſit Commemoratio Feſti ſimplicis in lau-

laudibus tantum, & in Miſſis privatis. In Feſtis autem primę claſſis nulla fit nec in Miſſis privatis commemoratio ſimplicis; Et licet in ſecunda Miſſa Nativitatis Domini fiat commemoratio S. Anaſtaſię non ſolum in Miſſis privatis, ſed etiam ſolemnibus, ut ait *Biſſus L. C. num.* 365. non tamen fit hęc commemoratio S. Anaſtaſię quia ſit feſtum ſimplex; ſed quia ſecunda illa Miſſa in Eccleſia S. Anaſtaſiæ celebrabatur; ut colligitur ex antiquiori Ordine Romano apud *Hytorp.*, qui Ritus adhuc ſęculo XIV. in Eccleſia Romana vigebat, teſte *Jacobo Cajetano in Ordidine ſuo*, in quo hęc leguntur; *pag.* 327. *Summo igitur manè Pontifex indutus Miſſalibus Veſtimentis vadit ad S. Anaſtaſiam, ut celebret ibi Miſſam ſecundam*. In prædictis Feſtis primę claſſis quamvis non ſit facienda commemoratio feſti ſimplicis; fit tamen commemoratio I. de die Octava alicujus feſti, quę poſſit occurrere cum tali feſto primæ claſſis. II. de Dominica, niſi ſit vacans, ſeu talis, de qua nec in Officio, nec in Miſſa aliquid fit. ex. gr. Si feſtum Nat. Domini in diem Dominicam incidat. III. Fit commemoratio de Octava Nativitatis Domini, Epiphanię, & Corporis Chriſti. IV. De Feriis fit commemoratio in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, & Rogationibus. V. De Dominica anticipata in Sabbatis ante Dominicas Septuageſimę, & ultimam poſt Pentecoſten, utpote quę non habent rationem Vigilię, ſed quaſi Ferię majoris. E' contrà verò in dictis Feſtis primę claſſis, ut bene notat *Hagerer in ſua appendice tit.* 3. *num.* 3. nulla debet fieri commemoratio. I. de aliis diebus infra Octavas occur-

currentibus, ex. gr. in Feſto SS. Petri, & Pauli occurrente infra Octavam S. Joannis Baptiſtę, nulla fit Commemoratio de S. Joan. Bapt. niſi tamen de ſpeciali privilegio, aut indulto conſtet. II. nec de ſimplici occurrente, ut ſupra diximus. III. Neque de vigilia, excepta vigilia Epiphanię, de qua *in Rubrica tit. 9. n. 2.* Commemoratio fieri jubetur. IV. neque dicitur Oratio imperata a ſuperiore, velut *Deus refugium* &c. quę Collecta *ex Decr. S. R. C. 2. Dec.* 1684. prohibetur in Feſtis etiam ſecundę Claſſis. In Feſtis autem ſecundę claſſis, præter Commemorationem de feſto ſimplici in Miſſis privatis tantum, debent fieri aliæ Commemorationes, quę fiunt in Feſtis primę Claſſis, ut ſupra. Item de Vigilia occurrente; deinde fit Commemoratio de Octavis in duplicibus ſecundę claſſis occurrentibus infra Octavam Nativitatis Domini, quia habent ſpeciale privilegium. Non fit tamen commemoratio in diebus ſecundę claſſis de aliis Octavis, ideſt de diebus infra Octavas, niſi vel *ex Rubr.* vel ex ſpeciali privilegio exprimatur.

Commemoratio de Feria fit in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigiliis, quando Miſſa dicenda eſt de Feſto illis Temporibus occurrente. Sed in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis in Feriis, Rogationibus, & Vigiliis prędictis, quę habent Miſſas proprias, dicuntur duæ Miſſę, una de Feſto, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia, abſque ulla utrorumque commemoratione: Notandum autem, quod ſi prętereа facienda ſit commemoratio feſti ſimplicis, vel de die infra Octa-

vam; hęc Commemoratio facienda erit in Miſſa de Feſto: & ſimiliter, puta in Adventu, ſi alicubi occurrat feſtum in vigilia S. Thomę Apoſtoli, ideoque cantandæ ſint duę Miſſę, & de Feſto, & de Vigilia; Commemoratio feriæ Adventus fiet in Miſſa de Vigilia, quia ſunt ejuſdem rationis; Tertia Oratio deinde erit, quę ſecundo loco alias diceretur. *Gavant. part.* 1. *tit.* 7. *n.* 2. Pręſcribit Rubrica, quod ſi in Miſſa Officii alicujus diei facienda ſit Commemoratio pro Defunctis, ſemper penultimo loco fiat. A Sacra autem Rituum Congregatione. 2. *Dec.* 1684. ſtatutum eſt, quod in Miſſa privata de Feſto ſemiduplici, vel ſimplici &c. poſſit in penultimo loco dici Collecta etiam pro particulari Defuncto, puta *Inclina &c.* In Collecta, Epiſcopus non poteſt cogere Regulares, ut faciant Commemorationem ipſius *S. R. C.* 19. *Jun.* 1602. Miſſa de Dominica, ſeu de Feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici cum commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Miſſalis, quando debet fieri a Canonicis particularis Proceſſio cum SS. Sacramento in diebus Dominicis cujuſlibet Menſis. *S. R. C.* 6. *Dec.* 1653. Qui habent privilegia celebrandi octavas in Quadrageſima, occurrente die infra aliquam ejuſmodi Octavam in Feria 4. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de Octava, neque in Miſſa, neque in Laudibus. *S. R. C.* 24. *Jan.* 1682. In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadrageſima, debent privilegiati celebrantes dictam Octavam, dicere Miſſam Conventualem de feria occurrenti cum commemoratione Octavę. *S. R. C.* 24. *Jan.* 1682. Advertendum hoc loco,

quod

quod etiam Miſſę privatę in dicto caſu debent eſſe de feria, cum commemoratione Octavę, non excluſis tamen Miſſis Votivis, & de *Requiem*. In feria 6. poſt octavam Aſcenſionis occurrente aliquo feſto 9. Lectionum, niſi tale Feſtum fuerit ex ſolemnioribus, facienda eſt commemoratio in Miſſa dictæ ferię. *S. R. C.* 4. *Apr.* 1705.
* Hoc autem ordine faciendæ ſunt commemorationes *ex Rubrica*: ſcilicet; de Dominica ante diem infrà Octavam; de die infrà Octavam ante ferias prędictas; de feriis prædictis ante feſtum ſimplex; de Feſto ſimplici ante Orationes, quę ſecundo, vel tertio loco dicendæ aſſignantur; & hę dicuntur ante Orationes Votivas; In quibus Votivis ſervetur deinde dignitas Orationum, ut de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sacramento, de S. Cruce, ante votivam de B. Maria: Et de Angelis, & S. Joanne Baptiſta, ante Apoſtolos, & ſimiliter in aliis: hæc *Rubrica*.

Communicantes, pars Canonis, cujus Siricius Papa creditur Auctor *a Radul.* In ea Oratione ante Conſecrationem nominantur cum B. Virgine, Apoſtoli, Summi Pontifices, Epiſcopi, Diaconi, & Laici: Nempè Apoſtoli duodecim, & Martyres totidem: quia illi doctrina, & ſanguine, iſti ſanguine, & Martyrio Sacrificium hoc confirmaverunt, *Gemma lib.* 1. *cap.* 104. Confeſſorum autem nulla fit mentio, quia editus fuit Canon ante S. Silveſtrum *ex Innoc. III. lib.* 3. *cap.* 10. neque ſunt paſſi, ſicut Chriſtus, *Durand. lib.* 4. *cap.* 38. Patriarcharum, & Prophetarum nulla hic memoria peragitur, quia, ut ait *Belloa. in obſervat. pag.* 548. licet per idem

&

& devotionem Sacrificium hoc in ſpiritu cognoverint, & ſpiritualiter participaverint; Sacramentaliter tamen eo nequaquam uſi ſunt, quod longè poſt eorum tempora noſcitur inſtitutum. Si ratio deindè reddenda eſſet, cur commemoratis omnibus Apoſtolis, nulla de S. Mathia fiat mentio; dicendum crediderim, quia non eſt in numero illorum, quos Chriſtus Dominus immediatè elegit, & Apoſtolos nominavit. Habetur autem Apoſtoli Pauli nominatio; quia hic non ab hominibus, neque per homines electus eſt; ſed per Chriſtum ipſum (*Actor. cap. 9. verſ. 15.*) numero, & gradui Apoſt. additus fuit, ut eſſet Vas electionis, portans nomen Domini coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael. De S. autem Mathia fit mentio in alia Canonis parte, quę eſt poſt Conſecrationem; & quę incipit: *Nobis quoque peccatoribus &c.* Et *Bellarm. de Miſſ. lib. 2.* ait, Mathiam non cum aliis duodecim nominari, quia poſt paſſionem fuit electus: Quod ſi obiicias Paulum quoque poſt paſſionem vocatum, *reſpondet*, Paulum Petro ſemper adjungi. Hoc loco advertendum occurrit, quod *Communicantes*, & *Hanc igitur. oblat.* quando ſunt particulares de Octava aliqua v. g. de Paſchate, de Nativitate &c. nunquam omittuntur, etiamſi omittatur Pręfatio particularis talis ſolemnitatis, & hoc conſtat *ex Decr. S. R. C.* 28. *Aug.* 1627. unde ſi infra Octavam Paſchatis cantetur Miſſa Solemnis Votiva de B. M. V. pro publica Eccleſiæ cauſa, & gravi neceſſitate, Pręfatio erit de B. M. *Commun.* vero, & *Hanc igitur* de dicta Octava; ſic etiam ſi Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, &

Ja-

Jacobi, vel Inventionis S. Crucis occurrerit infra Octavam Aſcenſionis; Præfatio in Miſſa erit quidem de Apoſtolis, vel de Cruce; ſed *Communicantes* de Aſcenſione. Solum infra Octavam Nativitatis Domini, non ſolum ſemper dicitur *Communicantes*, ſed etiam Præfatio de Nativitate, licet Miſſa occurrens propriam habeat Præfationem; ut clarè patet ex Miſſa S. Joannis Evang. in qua non dicitur Præfatio Apoſtolorum, ſed præſcribitur dicenda Præfatio Nativ. Sed ſi infra dictam Octavam cantetur aliqua Miſſa votiva pro re gravi; tunc Præfatio erit quidem de ea ſi propriam habeat; *Communicantes* verò de Nat. & hoc pariter colligitur ex S. R. C. Decr. 25. *Sept.* 1706. & ſic tenet etiam *Lohner de Sacr. Miſſæ part.* 4. *tit.* 2.

Communio, Antiphona in Miſſa, de qua *Ord. Rom.* & *Antiphon. Gregor.* & idcirco Gregorio eam tribuunt Auctores, *Gemma lib.* 1. *cap.* 90. & *Hugo Vict.* Ex Ceremon. Epiſc. hæc cantari debet immediatè poſt *Agnus Dei*, quod ſi accidat fieri (ut hodie in praxi omnium venit Eccleſiarum) facta Communione Celebrantis, & aliorum; eo caſu ſedetur. Olim cantabatur dum Populus Communicabatur, tradit *Rupert. lib.* 2. *cap.* 18. unde, & *Communio* dicta fuit.

Communio ſolam hodie ſignificat Euchariſtiæ participationem, plura olim ſignificabat, ſed brevitatis gratia prætermittenda ſunt. Fideles olim ad Euchariſtiæ perceptionem hoc ordine accedebant. Primò Celebrans ſe ipſum communicabat, deinde Epiſcopos, ſi qui aderant, vel Presbyteros ſimul cum eo Miſſam celebrantes, tum Diaconos, atque Subdiaconos, & Clericos; Ma-

nacos, & Diaconiſſas; Sacras Virgines; noviſſimè Populum adjuvantibus Presbyteris, & Diaconis, primùm Viros, poſtea Mulieres; conſtant hæc *ex Ord. Rom.* & *Euchologio Græcor.* Quod ſpectat ad locum; Celebrans in medio Altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retrò Altare communicabant; Subdiaconi, & Clerici in limine Sanctuarii, reliqui extra Cancellos. Excipe tamen Imperatorem in Eccleſia Greca ex *Canon. Trullano 69.*

Communio Fidelium regulariter facienda eſt a Celebrante poſt ſumptionem Sanguinis ante quam ſe purificet, *ut preſcribitur a Rubrica*, ſed hodie quia plurini exoptant finem Miſſæ, & eos tedet expectare alios, ut communicent, præſertim ſi multi ſint communicandi; differri ſolet Communio uſque ad peractam Miſſam. Tolerandum videtur, ſi multi communicent; non autem ſi pauci: & ii fortaſſe privantur fructu Orationum earum, quæ poſt Communionem dicuntur, ut notat *Microlog. cap. 19. Ante has Orationes*, inquit, *Communicare non negligant quicumque earumdem Orationum Benedictione foveri deſiderant*. Si ergo Communio facienda ſit intra Miſſę Solemnia, immediatè poſt Communionem Sacerdotis; debet ipſe Sacerdos Celebrans, ſumpto Sanguine, Calicem palla tegere, eumque collocare a cornu Evangelii, ut aliqui volunt, vel etiam a latere Epiſtolæ, ſed ſemper ſuper Corporale, ut conſulit *Caſtald. lib. 2. ſect. 14. cap. 7.* Deinde, ſi Pyxis Tabernaculo incluſa extrahi debeat, ut fiat Communio, debet ipſe aperire Oſtiolum Tabernaculi, & ſtatim adorare Sacramentum, genuflectendo

uſ-

Digitized by Google

uſque ad terram unico genu, & poſtea erectus extrahere Pyxidem, eamque collocare ſuper Corporale, quam ſtatim aperit, & mox iterum genuflectit, ſtando verſa facie ad Altare, manibus junctis ante pectus, pollicibus, & indicibus nondum disjunctis; Interim autem Miniſter dicit *Confiteor &c.*, quę Confeſſio debet ab eo fieri nomine omnium capite inclinato verſus Sacerdotem, in plano Cappellę, vel ſupra infimum gradum Altaris a latere Epiſtolæ, ſed nonniſi poſt ſumptionem Sanguinis factam a Sacerdote; qui facta Confeſſione a Miniſtro iterum genuflectit, deinde ſurgit, & ſtans manibus junctis ante pectus, ſtatim ſe vertit ad Populum a cornu Evangelii obliquè, atque humeris converſis ad prędictam Altaris partem, ita ut facies convertatur ſimul ad Populum, & ad latus Epiſtolę, nè terga vertat Sacramento: Tum dicit; *Miſereatur &c. Indulgentiam &c.* Et ſicut in Miſſa uno tantum pręſente dicitur *Miſereatur Veſtri*, ita etiam uno tantum Communicaturo dici debet *Veſtri*, & *Veſtris*. Gavant. *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 6. Sed advertat quod dum facit ſignum Crucis ſuper Populum; quando dicit *Indulgentiam*, debet tenere manum ſiniſtram infrà pectus poſitam. *Biſſus*, *& Caſtald.* cavendo ſemper nè pollices, & indices adhuc conjuncti Planetam tangant. Dicto *Indulgentiam* Celebrans iterum ſe vertit ad Altare; & facta genuflexione, accipit manu ſiniſtra Pyxidem, capiens inter indicem unitum pollici, & reliquos digitos Pyxidis nodum firmiter, ne decidat; manuque dexterà accipit unam Particulam inter pollicem, & indicem, & vertit ſe ad Populum (*qui ma-*

 nus

nus ſuas in formam Crucis componere debet) ſed humeris verſis ad medium Altaris etiam ſi eſſet Sacramentum expoſitum, & Communicandi in cornu Epiſtolę, vel Evangelii eſſent; & dicit; *Ecce Agnus Dei &c.* voce clara elevando aliquantiſper Particulam, oculis ſemper ad Sacramentum intentis, & dicit ter *Domine non ſum dignus &c.* ſed neque ipſe, neque Populus communicandus, debent dum proferuntur talia verba percutere ſibi pectus, ſed ſolus Miniſter id præſtat nomine totius Populi, *Bauldry part. 3. cap. 3. Gervaſ. Tonell. &c.* Poſtea pergit Sacerdos ad communicandos Fideles exiſtentes ad Cancellos Cappellæ incipiendo ab iis, qui reperiuntur a latere Epiſtolę, dummodo non adſint aliqui parati, vel alii de Clero, qui tunc Communionem accipient ad Altare ſuper ipſius gradum propè ſuppedaneum genuflexi, mappam mundam, non verò manutergium, mento ſuppoſitam ambabus manibus tenentes ante pectus. Advertat autem Sacerdos, ut dum porrigit particulam Communicandis, promoveat ſe, & ſupponat aliquantiſper Pyxidem, ne longius cogatur portare Sacramentum, cum periculo, quod decidant fragmenta. Cavere tamen debet, ne Communicandorum halitus avolare faciat particulas in Patena, aut Pyxide contentas. Sunt qui accipientes cum Pyxide etiam Purificatorium ſępius abſtergunt in eo duos digitos, quibus utuntur in porrigendis Sacris Particulis; ſed adeſt periculum quod aliquod fragmentum in terram decidat, & hoc pręſertim contingere poteſt, quando eſt magna copia Communicantium. Quapropter quando prędicti digiti Sacerdotis ſunt

ſa-

ſaliva Communicantium humefacti, docet *Claudius la Croix*, quod in tali caſu debet Sacerdos diligenter revidere ſuos digitos; & ſi deprehendat aliquod iis adherere fragmentum, tunc eos fricando reponat in Pyxidem dictum fragmentum; & deinde abſtergat eoſdem digitos purificatorio, quod in manu ſiniſtra tenet ad hunc finem. Verùm purificatorio non utatur, quod adhibet pro Miſſę celebratione; quia non decet abſtergere digitos ſaliva humefactos cum eodem purificatorio, quo abſtergitur Calix; ut optimè advertunt *Quarti part.* 2. *tit.* 10. atque alii. Omnibus autem communicatis, redit Sacerdos ad Altare, & Pyxide ſuper Altare depoſita, genuflectit, ſurgit, eamque cooperit, & intra Tabernaculum reponit, qua repoſita, iterum genuflectit, & ſurgens oſtiolum Tabernaculi claudat *Angel. part.* 3. *& Caremon. Miſſę privatę*.

* Quod ſi in fine, aut extra Miſſam Communio Fidelibus diſtribuenda ſit, eadem obſervari debent, quę in Communione intra Miſſam, excepto quod peracta Communione, Sacerdos reverſus ad Altare, & depoſita Pyxide ſuper eodem, ſtatim genuflectit, deindè ſurgit, & dicit voce ſubmiſſa Antiphonam, *O Sacrum Conviv. &c.* ℣ *Panem* ℣ & *Orat. Deus qui nob.* &c. ſine *Dominus vobiſcum* ante ipſam Orationem ex inſtructione particulari Clementis XI. Quibus dictis diligenter advertat Sacerdos, ne fragmentum aliquod digitis adhereat, & faciat id, quod ſupra diximus de Cummunione intra Miſſam, deindè genuflectat, ſurgat, Pyxidem operculo, & parvo conopeo cooperiat; abluat digitos

in vaſculo Cryſtallino, vel Argenteo aqua pleno, ad hunc finem ſuper Altare propè tabellam Secretarum verſus cornu Epiſtolæ parato, & abſtergat purificatorio, & Pyxidem cum debitis genuflexionibus, ut ſupra diximus reponat in Tabernaculo, quo clave obſerato, Sacerdos ſtans verſus Altare, elevat oculos ad Crucem, & extendens manus, atque jungens, *a Portu*, caputque inclinans Cruci, dicit voce clara, *Benedictio Dei Omnipotentis*, & poſtea junctis manibus convertens ſe ad Communicatos, benedicit dexterà, ſiniſtrà poſita infra pectus, dicens; *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper*. Et Miniſter genuflexus reſpondebit *Amen*: *Tonellius*. Quę Benedictio debet dari tam ante, quam poſt Miſſam manu, & numquam Pyxide [prout multi male faciunt pręſertim apud Moniales) quibus, ſi intra Miſſam Communionem ſumpſerint, non debet dari alia Benedictio, quam illa, quę datur in fine Miſſę, ne fiat expreſsè contra Rubricam. Si verò extra Miſſam Communionem ſumpſerint, male opinantur illi, qui in prędicto caſu cenſent, quod Sacerdos poſtquàm Moniales communicaverit, debeat illis dare Benedictionem cum Sacramento in Pyxide contento. Hoc enim Infirmi tantum benedicuntur, qui pro Viatico communicantur. Obiiciunt tamen non convenirę, quod Sacerdos ad pręſentiam Chriſti, qui eſt fons Benedictionis, dexterà ſua benedicat: ſed non officit; nam ſi celebret Sacerdos in Altari, in quo ſit expoſitum SS. Sacramentum, dat Benedictionem intrà Miſſam. Rurſus idem Sacerdos Miſſa peracta ſi di-

diſtribuit Sacram Euchariſtiam, completa Communione, eodem modo dat Benedictionem Populo, ac ſi eſſet in Altari, ubi Sacramentum non eſt expoſitum, *Corſett. tract.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 3. *num.* 1. *Tonell. lib.* 2. *tit.* 10. *Rubr.* 6. *Biſſus lit. B. num.* 66. Ex quibus evincitur, quod Monialibus debet dari Benedictio conſueta manu dexterà, etiam ſi Sacramentum ſit prçſens, nempè in Pyxide cooperta depoſita ſuper Corporale, ſeu Palla propè Feneſtellam.

* Quo autem Ritu adminiſtranda ſit Euchariſtia intra Miſſam Solemnem *V. Feria V. in Cœna Domini*, & *Miſſa Solemnis*.
* Quæſtio, quæ fuit inter Doctores Rubriciſtas utrum in Miſſis Defunctorum poſt Communionem Sacerdotis liceat Sacram adminiſtrare Euchariſtiam ex Particulis conſecratis in eadem Miſſa, & præconſecratis in alia, a Sacra Rituum Congregatione ſequenti Decreto ſublata fuit.
* In Miſſis Defunctorum, ſeu (ut utar verbis Decreti) in Paramentis nigris, non miniſtratur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum Particulis præconſecratis, extrahendo Pyxidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt quando Fidelibus prçbetur Communio cum Particulis infrà eamdem Miſſam conſecratis *S. R. C.* 2. *Sept.* 1741.

Communio *ex Decretis S. R. C.* exhiberi non poteſt Fidelibus in Nocte Nativitatis Domini ante Auroram.

* Notandum, quod mos antiquus Communionem miniſtrandi erat ſemper intra Miſſam, de qua re erudite agit *Vanneſpenius part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 3.

ubi adſtruit, quod per duodecim, & ultra ſęcula obſervatum fuit, quod Communio intrà Miſſam, non verò extrà diſtribueretur, & quod Euchariſtia in Eccleſiis conſervaretur pro uſu Infirmorum tantùm; redditque rationem, quia ſcilicet Populus una cum Sacerdote concurrit ad Sacrificium offerendum; Ideoque plures Orationes in Miſſa ſunt utrique communes, unde & Populus debet in Miſſa de eodem Sacrificio particeps eſſe. Hodie tamen, ut diximus, ante, poſt, & extrà Miſſam Euchariſtia miniſtratur, ſed ante Miſſam non decet, niſi alia juſta cauſa urgente.

Concio in Miſſa Solemni ſi habenda ſit, fiat poſt Evangelium, *ex Ord. Rom.* (poſtquam incenſatus fuerit Celebrans) ut Concionator ſit quaſi interpres Evangelii; *Gavant. part.* 2. *tit.* 6. *n.* 6. Si verò ipſa Concio non habeatur ſupra Evangelium, ſed alterius ſit argumenti, infra Miſſam fieri non debet, *Nicol. de Bralion.* Antiquiores poſt Symbolum concionabantur, *ex lib.* 8. *Conſt. Apoſt. cap.* 4. Poſt Oblata autem haberi non poteſt Concio, cum hoc ſit expreſsè contra Rubricas Miſſalis *Lohner* ex *Bauldr.* Si Celebrans concionari velit, ſedeąt ſuper ſcamno nudo in cornu Evangelii capite tecto, aut ſine caſula in Pulpito, *Gavant.* Diaconus verò, & Subdiaconus in eodem latere, extrà Altare tamen, tectis capitibus ſuper ſcamnum, faciebus ad Altare converſis, Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris ſedebunt *Caſtald. lib.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 6. vel ſedere poterunt in ſcamno (præſertim ſi Celebrans in Pulpito prędicet) ubi cum ipſo Celebrante dum cantabatur *Glo-*

ria

ria in excel. ſedebant, relicto tamen loco ipſius Celebrantis vacuo, *Bralion.* Bauldry tamen *part.* 1. *cap.* 10. *ex Concil. Mediol.* 6. docet, quod Præpoſiti, & alii Epiſcopo inferiores ad Altare concionantes ſtent, & aperto capite in cornu Evangelii, Miniſtris ſtantibus in plano ad idem cornu aſpicientibus; nec candelæ Altaris extinguantur. Si verò alius a Celebrante concionari debuerit, antequam Pulpitum aſcendat, ſi ſit Clericus ſuperpelliceo indui debet; & cum ſtola ſi ſit Sacerdos. Romæ tamen ob Papæ reverentiam, qui extrà Sacramenta ſtola utitur Concionator non adhibet ſtòlam ſuper Cottam *Gavant.* Si verò Concionator ſit Regularis, remanet indutus ſolo habitu ſuo regulari; ſi Canonicus, vel Dignitas, cum Cappa, vel Almutia ſuper Rocchettum; ſi verò ſit Epiſcopus, & non ſolemniter celebret, habitu ordinario indutus, videlicet Rocchetto, & Mozzetta, addita ſtola; nec illi debetur in tali caſu aſſiſtentia a Canonicis, & Dignitatibus, quę Aſſiſtentia ſolum debetur Epiſcopo prædicanti cum Pluviali, & Mitra ad præſcriptum *Cęrem. Epiſc. S. R. C.* 19. *Dec.* 1643. Si verò Epiſcopus extrà ſuam Dięceſim concionetur nón quidem Mozzettam, ſed Mantellettam habebit. Si coram Cardinali, Legato Sedis Apoſtolicæ, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo in locis ſuæ juriſdictionis concionari contingat; tunc ſermocinaturus, cum debitis reverentiis antequam Pulpitum aſcendat, ſi ſit Clericus, vel Regularis, genuflexus Benedictionem petat dicens: *Jube Domne Benedicere*. Si verò ſit Dignitas, vel Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, profundè incli-

natus Benedictionem petat, *Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 22. Vicario Epiſcopi non licet dare Benedictionem Prędicatori antequam Pulpitum aſcendat. *S. R. C.* 17. *Mar.* 1607. Epiſcopus, qui concionatur extrà ſuam Dięceſim, nullo modo ab Epiſcopo ordinario, etiam ſi ſit Cardinalis Benedictionem petere debet; non enim decet ob ſupremum Ordinem, & Dignitatem Epiſcopalem. *S. R. C.* 28. *Apr.* 1607. Poſtquam Concionator Pulpitum aſcenderit, ſtatim Cruci, vel Altari facit profundam inclinationem, vel genuflexionem, ſi in eo ſit SS. Sacramentum; Mox ſalutat Clerum, & Populum; ſed advertendum eſt, quod ſi adſint Pręlati, ac Primates, vel Magni Principes &c. ante Populi ſalutationem, debet ipſis profundam facere inclinationem capite detecto, & obſervare ſequentia Decreta.

Concionatores debent primum Canonicos, quam Magiſtratus, aut Gubernatorem Civitatis ſalutare. *S. R. C.* 3. *Oct.* 1615.

* Si Suffraganeus aſſiſtens Concioni ſedeat in Preſbyterio, Prędicatoris ſalutatio ei prius dirigi debet diſtincta ab illa Canonicorum, & Magiſtratus. *S. R. C.* 6. *Sept.* 1698.

* Quando in Miſſa Solemni Concionator poſt Salutationem Angelicam ſalutat Miniſtros Altaris, ſeu facit reverentiam, non eſt incongruum ſi Miniſtri Altaris, & ipſe Celebrans correſpondeant ſalutationi Concionatoris diſcooperiendo caput. *S. R. C.* 20. *Jul.* 1686.

Concionator, factis debitis inclinationibus, tegit caput, & expectat tantiſper: deinde caput detegens, manibus junctis, Birretum tenens ante pectus, ſi eo utatur, oculiſque ad Deum e-

elevatis, ſignat ſe ſigno Crucis, dicens ſubmiſſa voce, *In Nomine Patris &c.* & in fine jungit manus dicens, *Amen*, & ſtatim ad Altare genuflexus clara voce dicit Salutationem Angegelicam (non verò *Regina Cęli* etiam tempore Paſchali *ex Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 22.) qua completa, ſurgit, caput tegit, Sermonem incipit, & proſequitur. In fine Populum benedicit, niſi ſit præſens Epiſcopus loci, quia tunc a Benedictione abſtinet. Quod ſi adſit aliquis Prælatus Magnus, non tamen in loco ſuę juriſdictionis, antequam aliis benedicat, eidem Pręlato ſe profundè inclinabit; mox ex alia parte converſus benedicet Populo; *Bauldr. part.* 1. *art.* 2. *cap.* 10. *& Caſtald. ſuprà*. Si Concio habeatur, ſive in Pulpito, ſive ante Altare in cornu Evangelii, quando SS. Sacramentum eſt ſuper Altare expoſitum, ſemper Concionator ſtabit capite detecto non obſtante quacumque conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit S. R. C.

Confeſſio neceſſario præmittenda eſt Miſſę celebrationi a Sacerdote peccati mortalis ſibi conſcio, niſi occurrentibus duabus his circumſtantiis, nempè cum urget neceſſitas celebrandi, & cum deeſt copia Confeſſarii. Neceſſitas autem urgens erit; primò abſolvendi inchoatum jam Sacrificium, ut perficiatur. Item neceſſitas alterius in periculo mortis exiſtentis, pro quo communicando facienda eſt Miſſa. Item ſi omittendo Miſſam ſcandalum oriretur, dico ſcandalum, non autem quædam admiratio Populi, quæ *ex Corduba quæſt.* 142. non ſufficit. Item quando tenetur ex officio facere Sacrum, quam cau-

cauſam præſertim indicat Tridentinum . Inopia verò Confeſſoris dicitur eſſe quando verè non adeſt , qui abſolvere a peccato mortali poſſit, quo reus eſt Sacerdos celebraturus , vel longius abeſt , quam adiri commodè queat. Contritionem autem neceſſariam eſſe in tali caſu omnes fatentur *ex Trident. Sibi contritus videatur.*
* Si Sacerdos ante inchoatam Miſſam recordetur ſe eſſe in peccato , confiteatur etiamſi oporteat exui Sacris Veſtibus (facienda enim non eſt Confeſſio Sacramentalis a Sacerdote Sacris Veſtibus jam induto) *Sot. diſt. 9. quæſt.* 1. Si verò Miſſa eſt inchoata , & facilè poteſt Confeſſor accedere ad Altare, fiat, *Bonav.* 4. *diſt.* 3. *Sylveſt. verb. Euchar.* 2. *quęſt.* 6. quia illa pars Miſſę uſque ad Canonem eſt extrinſeca Sacrificio , & poteſt interrumpi, ſicut per concionem , oblationem Populi &c. At *S. Thom. quęſt.* 86. *art.* 6. dicit, tutius eſſe relinquerè Miſſam, maximè in caſu excommunicationis, ubi tamen indicat , non eſſe pręceptum , ſed conſilium , deſerere incæptam Miſſam , dum dicit *Tutius eſſe* . Et *S. Bonav.* negat deſerendam eſſe Miſſam , negatque teneri Sacerdotem diſcedere ab Altari , ut confiteatur . Debet autem *ex Conc. Trid.* cum primum poterit confiteri . Sed intra quod tempus confiteri oporteat , ut quis dicatur quamprimum confiteri , varię ſunt Doctorum ſententię . Aliqui putant , quod Sacerdos ſtatim poſt Miſſam debeat confiteri , ſi habeat copiam Confeſſarii, alii verò putant ſufficere ſi ſaltem intrà triduum confiteatur; Certum tamen eſt apud omnes , Confeſſionem neceſſario requiri , antequàm dictus Sacerdos ,

etiam ſi verè contritus, iterum celebret. Et hoc merum non eſt conſilium, ut aliqui opinati ſunt, ſed præceptum, idque conſtat ex Propoſitione ab Alexandro VII. damnata *num.* 38. in qua habetur: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium non preceptum*. Ad hoc etiam facit altera Propoſitio ab eodem Alexandro proſcripta *num.* 39. in qua damnatur, quod particula illa *quamprimum* a Tridentino uſurpata intelligi debeat, *cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*.

Confiteor, ſeu generalis Confeſſio initio Miſſę, formula licet diverſa ab illa, qua utitur Eccleſia Romana, antiquiſſima eſt, & Apoſtolicę traditionis, ut ait *Card. Bona*; Quinimò non ſolum antiqui Chriſtiani, ſed etiam ipſimet Judęi in Veteri Lege Confeſſionem in omnibus Sacrificiis præmittebant, quam Hębręi Doctores, inquit *Fageus* allegatus a *Bellotte* vocabant, *Viddin Haddenarin*, fiebatque his verbis; *Profecto Domine peccavi, iniquè egi, prevaricatus ſum coram te, penitet me, & pudet operum meorum; nec ad ea umquam revertar*. Et hinc forſan æmulando, & imitando hunc pium Sacerdotum Judęorum uſum, orta eſt Chriſtianæ Liturgię Confeſſio in ipſo Sacrificii exordio. *Radulph. prop.* 23. Damaſum Pp. hujus facit Confeſſionis Auctorem; *Berno* autem Pontianum. Sed ſi de formula illa Confeſſionis ſermo ſit, qua nunc utitur Romana Eccleſia, certiſſimum eſt hanc inſtitutam non fuiſſe neque a Pontiano, neque a Damaſo, cum ſit eorum ævo valdè poſterior. Eccleſia enim Ro-

ma-

mana non ante initium Sæculi XIII. illam adhibuit, ut ait *Petrus Le Brun. Tom.* 1. *part.* 1. *art.* 4. Varias inter hujus Confeſſionis formulas, quæ antiquitus in uſu fuerunt, queque apud *Card. Bona*, *Grancolas*, *& Bellotte* videri poſſunt, pretereunda illa non eſt, quam obſervat Rhemenſis Eccleſia ab ipſis Apoſtolorum temporibus orta, & edocta, ut bene ait *Bellotte*; In qua Celebrans aſſumptis in Sacrario veſtibus, ibique ante imaginem Crucifixi profundè inclinatus, Confeſſionem facit cum Miniſtris, qua peracta Chorum ingreditur: tum Sacerdos ſtans in medio ejuſdem Chori profundè ſe inclinat Altari; deinde facie ad Chorum converſa, dicit; *Orate pro me fratres, & ego pro vobis*: mox ad Altare converſus in infimo gradu ſtans, & profundè inclinans, dicit; *Aufer a nobis quæſumus Domine &c.* ut in Ord. Miſſe. Eumdem morem ſervat Laudunenſis Eccleſia, Monachi Cluniacenſes, atque alii Carthuſianæ diſcipline ſectatores. Sed qui plura hac de re ſcire cupit prædictorum Auctorum libros adeat. Adnotare ſolummodò oportet, nomen Patroni, aut alterius Sancti in hac generali, & publica Confeſſione addendum non eſſe; quia, ut benè advertit *Gavantus*, Pius V. Eccleſiis tantum Hiſpaniarum hoc expreſsè conceſſit: ergo non ſine Pape licentia fieri debet additio. Rurſus cum Sacerdos dicit *Vobis fratres*, vel *Vos fratres*, non ſe vertat modo ad unam, modo ad aliam partem, quia nullum preſtare debet reverentiæ ſignum erga Miniſtrum, aut Populum; *Quarti*, *Biſſus*, & alii communiter. Dum verò dicit *mea culpa*, ter pectus percutiat dexteræ manus

nus digitis omnibus ſimul junctis, tenendo ſiniſtram apertam ſubtus pectus, qui Ritus etiam a Miniſtro obſervari debet; ſed caveat uterque a percuſſione vehementi; Nàm pectoris percuſſione, non oſſa, ut ait *D. Auguſt.* ſed ipſum cor nos conterere ſignificamus. Stat autem Sacerdos dum facit Confeſſionem profundè Altari inclinatus, & ita manet donec a Miniſtro ſit dictum, & completum *Miſereatur tui*; Miniſter verò dum dicit *Miſereatur*, caput verſus Sacerdotem profundè inclinat in reverentiæ ſignum, *ex Cerem. Epiſc.* & in facienda Confeſſione (quam nomine circumſtantium facit) obſervet ea quę de Sacerdote dicta ſunt; ſed in dicendo, *Tibi Pater*, & *Te Pater* caput verſus Sacerdotem profundius inclinat, *ex Cerem. Epiſc.* Moniales dum dicunt *Confiteor* in Choro, utuntur communi formula, etiam *ex Decr. S. R. C.* nimirum dicunt *Tibi Pater*, non verò *Tibi Mater*.

Conſecratio Hoſtiæ, & Calicis. *V. Forma Conſecrationis. V. Calix, & Hoſtia.*

Corporale, Palla dicitur *a Clem. Epiſt. 2. ad Jacobum*. Syndon *ab Iſid.* Palla Corporalis *in Ord. Rom.* Corporale verò dicitur, quia in eo ponitur Corpus Chriſti, *Alcuin. cap. 2. de celebr. Miſſę*. Antiquitus Corporalia longiora, & latiora fuerunt, quam nobis ſint in uſu: unico enim Corporali tota tegebatur Ara, & a parte poſteriori ſupra Calicem elevabatur, eumquè contegebat; & hinc vocabatur Palla, *a Palliando*; nec aliæ tunc a Corporali diſtinctæ ad tegendum Calicem adhibebantur Pallę: talibuſquè magnis Corporalibus adhuc utuntur P. P. Car-

thu-

chuſiani antiquis Ritibus addictiſſimi, nec non Eccleſia Lugdunenſis in Gallia, ut refert *D. Du = Moleon*. Ex lino autem debet eſſe Corporale, quia Syndonem Chriſti repreſentat, *ex Epiſt. Euſeb. & Silveſt.*; Neque benedicitur ſeparatim a parva Palla, qua utimur ad tegendum Calicem, quia hæc eſt unum quid, & veluti pars Corporalis; nec in Pontificali datur diſtincta Benedictio. Poſſunt quidem Corporalia tangi a Monialibus, & laicis poſt eorumdem Benedictionem, & lotionem, ſed non poſt uſum; neque poſt lotionem debent iterum benedici, *Silveſt. verb. Corporal.* Si immunda adhibeantur notabiliter, peccatum mortale eſt, *Emmanuel Sà verbo Sacra num.* 5.

Corporis Chriſti Feſtum Leodii primum celebratum fuit hortante præſertim B. Virgine Juliana Montis Cornelii apud Leodium Sanctimoniali. Atque Urbanus IV. poſtea inſignis miraculi occaſione, quod Bolſenę contigerat, nec non Feſti Sacratiſſimi Corporis Chriſti Leodii cum ipſe ejuſdem Urbis Archidiaconus eſſet inſtituti; ejuſdem Sacri Myſterii Solemnitatem annuatim quinta Feria poſt Octavam Pentecoſtes perpetuis temporibus ubique celebrandam indixit, de qua Inſtitutione extat pręclara, & elegans ejuſdem Pontificis Conſtitutio ad omnes Catholicę Eccleſię Prælatos directa. Et quia (ut refert *Martene*) illa Conſtitutio Urbani non fuit recepta ab omnibus, ideo Clemens Pp. V. *in Conc. Vienn. Ann.* 1311. innovavit illam Conſtitutionem, eamquè præcepit ab omnibus obſervari. Clementinam Conſtitutionem ſuſceperunt Reges Gallię, Angliæ, & Aragonię, quę poſtmodum

An-

Anno 1316. a Joanne XXII. ſucceſſore Clementis nova promulgatione fuit confirmata, & ab aliis deinceps Romanis Pontificibus gratiis, & privilegiis exornata. Primum hujus Feſti Officium alii a Religioſo Oſpitalis Montis Cornelii prope Urbem Leodienſem, alii verò a Joanne Clerico Leodienſi compoſitum fuiſſe adſtruunt; & hoc comprobant auctoritate illius, qui vitam B. Julianę exaravit. Quoniam verò tale Officium juxta Gallicanum Ritum compoſitum fuerat, Urbanus IV. aliud componi juſſit juxta Ritum S. Romanæ Eccleſię per S. Thomam Aquinatem, quod tanta pietate, tantàquè Divini Spiritus unctione refertum eſt, ut illud mox omnes Eccleſię perſolvendum ſuſceperint. Et licet dubitatum ſit utrum verè hujus Officii auctor fuerit Doctor Angelicus, omnes tamen eruditi Viri Ipſum verum agnoſcunt Auctorem; omnemque ſuper hac re evellit ſcrupulum eruditiſſima Diſſertatio, quam elucubravit *P. Natalis Alexander* ejuſdem Ordinis Prędicatorum Profeſſor.

* De Proceſſione hujus Feſti *V. Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti*.

Credentia, Abacus, Menſa, erit brevis, demiſſa, ſimplex, a latere Epiſtolę, ſine gradibus, ſine Cruce, vel Imaginibus, cooperta linteo uſque ad terram undequaque pendente, *Cęrem. Epiſc. lib. 1. cap. 12.* Hęc pro Miſſa Solemni ut infra eſt inſtruenda. Ponatur ſuper eam Calix paratus; ſed advertendum eſt, quod pars burſę aperta ſuper Calicem reſpiciat parietem, ut benè adminiſtretur, & exhibeatur per Cęremoniarium Diacono ſuo tempore, *Bauldry, Biſſus*

& a Portu. In dèxtero ejus Credentię cornu verſus Altare ponatur pelvicula cum Ampullis cum vino, & aqua, & propè ipſas parvulum Manutergium, *Bauldry*. In cornu ſiniſtro ponatur Miſſale, quod debet inſervire Diacono pro Evangelio, & Subdiacono pro Epiſtola. Item ſuper Credentiam poni poteſt Thuribulum cum Navicula finita incenſatione Altaris initio Miſſæ; carbones tamen, qui in eo ſunt prius extrahantur. Propè ſupradictas ampullas ponunt aliqui inſtrumentum Pacis cum velo coloris paramentorum ad illius manubrium appenſo. Si facienda ſit Sanctiſs. Communio, vel conſecrandæ Particulę relinquendæ in Tabernaculo, poterit ſuper Credentiam pręparari Pyxis cum Particulis conſecrandis. Item ſuper Credentiam ponatur Campanula pulſanda ad Elevationem SS. Sacram.. Præterea in parte ſiniſtra ponatur Velum oblongum, ſeu humerale plicatum pro Subdiacono coloris Paramentorum. In multis tamen Eccleſiis Velum prędictum extenditur ſuper Calicem, & ſuper alia; *ex Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12. Sed volunt aliqui, quod prædicta ſuper Credentiam poſita tantùm ſint cooperienda, quando celebrare debet Epiſcopus. Debent autem omnia ſuper Credentiam ita diſponi, ut locus relinquatur pro ponendis Candelabris, quæ Ceroferarii deferunt de Sacriſtia.

Credo. *V. Symbolum*.

Crucis Signum manu integra tribus digitis efformandum eſt; hinc meritò legimus antiquitùs vetitum, ne unico digito Crucis ſignum efformaretur, propter *Monophiſitas Hęreticos*, qui unico digito Crucem effingebant; quandoquidem ip-

ipſi in Chriſto poſt unionem duarum naturarum Divinę, & humanę, has in unam coaluiſſe affirmabant. Dum autem Sacerdos pro incipienda Miſſa producit ſibi dextera manu Crucis ſignum a fronte, ad pectus, & ab humero ſiniſtro, ad dexterum dicens intelligibili voce, *In Nomine Patris &c.* ſiniſtram manum ponit infra pectus, ita ut ſit extrà terminos Crucis a dextera impreſſę; ſed tamen ſupra cingulum eam ponat. *Gavant. part.* 2. *tit.* 3. *num.* 5.

Crucis ſignum ſuper Oblata fit poſita manu ſiniſtra extenſa ſuper Altare extra Corporale, & formando Crucem manu dextera extenſa, non per quatuor puncta, ſed per duplicem lineam, alteram ſcilicet rectam, alteram tranſverſam, & quando Crux eſt communis Calici, & Hoſtię oportet, ut advertunt multi, nè dum faciunt primam lineam interrumpant manum inter Calicem, & Hoſtiam, ſed faciant ęqualem, & erectam verſus pectus. Utraque autem linea extendatur æqualiter alta a Calice, ad Hoſtiam, non deprimendo manum ſuper Hoſtiam ſuper Corporale poſitam in loco humiliori a Calicis Cuppa. *Bauldry, Tonell. Bonam. & Lobner*. Atque in hujuſmodi Cruce Calici, & Hoſtię communi linea traſverſa efformanda eſt prope anteriorem Pallæ extremitatem; & hęc linea fieri non debet manu tranſverſa, ſed extenſa in rectum, *ex Caſtald. & Quarti*.

Crucis ſigna ſuper Hoſtiam, & Calicem poſt Conſecrationem, nonniſi ad recolendam Chriſti Paſſionem fiunt, *ex Innoc. lib.* 5. *cap.* 3. eodemque Ritu fiunt, quo ante Conſecrationem, excepto quod ſiniſtra manus poſt Conſecrationem poni

debet ſuper Corporale. Et notandum quod hujuſmodi Cruces non debent excedere longitudinem unius palmi.

Crux eſſe debet in Altari ad Sacrificium, & hęc cum Imagine Crucifixi, ac in medio candelabrorum pręalta; ita ut pes Crucis ęquet altitudinem candelabrorum, & Crux ipſa tota candelabris ſupereminеat; ita *in Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12. Myſtica ratio eſt; quia Chriſtus etiam in Cruce major eſt ſuper omnes Populos ſignificatos in candelabris. Si in Altari, in quo continuè SS. Sacramentum Tabernaculo clauſum aſſervatur celebretur Miſſa, (quod non expreſsè *in Cęrem. Epiſc.* prohibetur) Crux cum figura Crucifixi collocari debet, quia loquitur Rubrica indefinitè de Altari ubi facienda eſt Miſſa, ut Sacerdos actu ſibi revocet in memoriam Paſſionem Chriſti; quę memoria magis ex Crucis aſpectu, quam ex ipſa Euchariſtia excitatur. Nec incongruit figuram cum figurato adeſſe ſimul. Imo *S. R. C.* 14. *Maii* 1707. decrevit, quod ſuper Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debet cum Imagine Crucifixi appoſita. At eadem *S. R. C.* 2. *Sept.* 1741. ſuperaddidit intelligendum quidem eſſe prędictum Decretum de Cruce apponenda tempore Sacrificii, ſed Patriarchales Urbis Eccleſias oppoſitum ſervare. Supervacaneam enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi Prototypus adoratur. Et hac de cauſa Inſtructio pro Oratione 40. horarum Clementis XI. Benedicti XIII. & Clem. XII. Summ. Pont. juſſu edita ſub ſilentio præterit, an locanda, removendáque ſit hujuſmodi Crux, linquens quemlibet

in ſua praxi. Certiſſimum tamen Crucem collocandam omninò eſſe tempore Sacrificii in Altari ubi eſt reconditum SS. Sacramentum in Tabernaculo.

* Et notandum quod parva illa Crux, quę aliquando eſt in ſummitate Tabernaculi, in quo ſervatur SS. Sacramentum non ſufficit, ut ſentit *Quarti*, quia non eſt ob oculos Sacerdotis Celebrantis, neque apta fini, propter quem Crux adhibenda præſcribitur; Quod ſequenti S. R. C. Decreto comprobatur. = Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur SS. Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. Et in Altare in quo adeſt magna Statua SS. Crucifixi, non eſt neceſſę, ut ponatur alia Crux dum celebratur Miſſa. *S. R. C. 16. Jun. 1663.*

Crux pręfertur in Proceſſionibus cum luminibus, quorum Auctorem faciunt S. Joannem Chryſoſtomum, *Socrates*, *&* *Sozomenus*. Porrò Ritus deferendi Crucem ante Annum 398. *teſte Baronio* fuit in uſu; Et Imago Chriſti terga debet vertere Clero ſequenti, quaſi Chriſtus pręire videatur; niſi ſit Archiepiſcopalis, vel Papalis, in qua Imago Crucifixi reſpicit Archiepiſcopum, vel Papam, quaſi ex illius aſpectu in ſumma animarum cura ii recreentur, ut indicatur *in Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 15. & aperte *in Cęrem. Marcelli lib.* 3. *cap.* 20. *& Craſſi lib.* 2. *cap.* 42. etiam ſi inter Crucem, & Prędatum incedant Canonici, ut expreſsè dicitur *in Cęrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 15.

Cruces autem Proceſſionum, & Altarium non ſunt

benedicendę de præcepto. *S. R. C.* 10. *Jul.* 1704.

D A

DAlmatica in Dalmatia fuit reperta *ex Alcuin.* & primò textam ibidem fuiſſe ſcribit *Iſidor.* 19. *Etymolog. cap.* 22. Ordo Rom. eam aſſignat Diaconis, quibus a S. Silveſtro conceſſa fuit, *ex Damaſo*. Uſi ſunt etiam Dalmatica Reges ſummi, quorum nomina vide *apud Baronium in not. Mart. ad* 31. *Maii*. Neque verò Silveſter omnibus Diaconis eam conceſſit, ſed tantùm Romanę Eccleſiæ, & in diebus tantum ſolemnioribus in ſignum lętitię, *ex Conc. Salegust. Diſt.* 76. *cap. de Jejun.* Exteris autem ex privilegio Roman. Pont. ut ait *Greg. lib.* 7. *Ep.* 3. Erat etiam regula quod Dalmatica adhiberetur tantum quando in Miſſa dicitur *Gloria in excelſis*, *ita Micrólog. cap.* 46. Nos autem hanc regulam ſecuti ſumus, aliqua tamen exceptione; nam in Dominicis *Gaudete*, *&* *Lętare* utimur Dalmaticis, non autem dicimus, *Gloria in exc.* ita in Vigiliis Sanctorum &c. *Sed vide Rubricam*. Forma antiqua Dalmaticę erat ſine manicis; & *Ammian. Marcellin. lib.* 14. vocavit eam pectoralem tuniculam, quam nos cum manicis ad cubitum vocamus Italicè, *Tunicella*; hiſque additis manicis formam Crucis gerit, ut ea indutus mundo ſit crucifixus, *Alcuinus*. Dalmaticæ item uſus fuit ſuper Albam, & conſequenter cum amictu, & cingulo, quæ conceduntur Diacono *in Conc. Narbon. cap.* 12. Significat denique Dalmatica lætitiam, *ex Ivon. Carnot.* ideoque in diebus męroris ea non utimur, ſed ejus loco Planeta plicatâ ante pectus. *V. Planeta plicata*. In aſperſione Aquæ die Domini-

nica ſi Celebrans non induitur Pluviali, nec Diaconus Dalmatica, & Subdiaconus Tunicella indui debent, niſi poſt factam aſperſionem, quando ipſemet Celebrans ſumit Planetam, & tunc procedunt ad Altare ante ipſum Celebrantem unus poſt alium *ex Bralion. part.* 3. *cap.* 1. *n.* 3.

Dedicatio Eccleſię anniverſaria celebratur ex auctoritate Apoſtolica, inquit, *Radulph. prop.* 17. dedicantur autem Eccleſiæ, *ait Alcuin. de Gen. Dom.* ut in eis invitetur adventus Angelorum, & homines in eas intrantes etiam ab exili cogitatione ſe contineant. *S. Thom. part.* 3. *quæſt.* 85. *art.* 3. Ideo, *ait*, conſecratur Eccleſia, quia Sancta eſt Eccleſia Sponſa Chriſti, & cum Octava celebratur ad notandam glorioſam Reſurrectionem ejuſdem.

* In Dedicatione Eccleſię Cathedralis, quę celebrari debet a Clero Civitatis, & Dięceſis (*quo autem Ritu dicemus in Secunda Parte hujus Dictionarii*), dicitur *Credo*, etiam extrà propriam Eccleſiam; ſicuti fit in Dedicationibus Baſilicarum Salvatoris, & Apoſtolorum Petri, & Pauli etiam extra eorum Baſilicas; quia, & eodem modo, quo totus Orbis veneratur Baſilicas, Cathedralem alteram Urbis, ideſt Salvatoris, alteram quaſi Cathedralem, nempè SS. Apoſtolorum, debet unaquęque Civitas, & Diæceſis magis, minuſve ſuam venerari Cathedralem; & extrà eamdem in ejuſdem gratiam recitare Symbolum in Miſſa.

Defuncti. *V. Miſſę pro Defunctis.*

Deo Gratias. Auguſtini Seculo conſueverunt dicere Monachi, cum hominibus occurrebant, *Burchard.* & tunc etiam erat in Miſſa, & Officio u-

uſitatum. Reſpondetur autem *Deo Gratias* in fine Epiſtolæ a Miniſtris; & omittitur talis reſponſio in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis 4. Temporum, ne interrumpatur textus, & ſenſus, ut ibidem legenti patet; & in fine Lectionum Feriæ VI. in Paraſc. & Sabbati Sancti; ſunt enim hi dies luctus, in quibus abſtinemus etiam a *Gloria Patri &c.* & ſimilibus loquendi modis feſtivioribus. Poſt *Ite Miſſa eſt* uſurpari *Deo Gratias* innuit *Dionyſius cap.* 3. *Eccleſ. Hierarch. iis verbis*: In gratiarum actionem Sacrum deſinit cum omni Eccleſię ſacra plenitudine. *Auguſt.* etiam *Epiſt.* 59. *ad Paulinum*; participato, *inquit*, tanto Sacramento; gratiarum actio cuncta concludit.

Deus. qui humanę ſubſtantię dicitur a Sacerdote impoſito vino in Calice, & reddita ampulla Miniſtro; & non prius, producendo interim dexterà manu ſignum Crucis ſuper ampullam aquę (quæ Benedictio omittitur in Miſſis Defunctorum), atque ad ea verba; *Da nobis per hujus aquæ, & vini Myſterium &c.* infundit parum aquæ in Calice; ut dictum eſt *ad verb. Aqua*. Ad verba autem *Jeſus Chriſtus* inclinet caput verſus Crucem inclinatione minimarum maxima, *Gervaſi*. Oratio hęc S. Ambroſii eſt.

Diaconus primis Eccleſię temporibus Sacratiſſimum Chriſti Sanguinem Populo ſub utraque ſpecie communicanti miniſtrabat, quod ex illa comprobatur Laurentii ſanctiſſimi Diaconi quęrimonia ad Syxtum Pontificem, quem cum ad Martyrium properantem videret, ipſe cupidus Martyrii ſic Sanctum alloquens Sacerdotem, dicebat. *Quo Sacerdos Sancte ſine Diacono properas? numquid de-*

degenerem me probaſti ? experire utrum idoneum Miniſtrum elegeris , cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem . In cujus rei comprobationem multa etiam veterum teſtimonia affert *Martene lib.* 1. *de ant. Eccl. Rit. cap.* 4. *art.* 10. Id tamen Diaconibus vetitum fuiſſe innuit *S. Jo. Chryſoſt. hom.* 46. *in Matthæum* , ubi ſic loquitur : *non vides qualiter ſoli Sacerdoti licet Calicem Dominici Sanguinis præbere?*

Diaconi munera in Miſſa Solemni . *V. Miſſa Solemnis*

Dominica ; prima dies hebdomadæ , quæ per Antonomaſiam dicitur dies Domini ; ſeu *Dominica* , quia ab ipſo Eccleſiæ exordio in ejus cultum precipuè dicata fuit ; atque inter Feſtivitates , quas Eccleſia celebrat ſub Ritu ſemiduplici , nempe ſub Ritu medio inter duplicem ; & ſimplicem , primum Dominica obtinet locum ; quippe quæ magis immediate ad Chriſtum Deum ; ac ad ejus vitæ myſteria pertinet . Nam Chriſtus ipſe hanc diem ſua Reſurrectione conſecravit . Et hac eadem die deſcendit Spiritus Sanctus in Apoſtolos . Ac demum Mundi fuit hæc dies creationis initium ; Unde canit Eccleſia ; *Primo die* ; *quo Trinitas Beata Mundum condidit , vel quo reſurgens Conditor &c.* de quibus Myſteriis diei Dominicæ tractant *D. Auguſt. ſerm.* 154. *&* 251. *de Tempore* ; *& D. Leo Epiſt.* 8. *ad Dioſcorum cap.* 2. ; Unde etiam dedicata eſt hæc dies in honorem SS. Trinitatis ; ut patet ex Ritibus , Hymnis , & Reſponſoriis , quibus utitur Eccleſia diebus Dominicis.

Dominica dici poteſt prima feria , quia dies immediatè ſequens Feria ſecunda vocatur , *Durand.* nullo tamen tempore jejunatur , quia eam

ſemper feſtivam eſſe, Dominicę Reſurrectionis auctoritas cogit, *Alcuin. de Div. Off.*

Dominica Prima Adventus eſt Dominica major Primę Claſſis, & ex illis ita privilegiatis, ut quodcumque Feſtum in illis occurrens, illi cedere, ac transferri debeat in diem aliam non impeditam. Imò ſi etiam alicubi Titulus, aut Feſtum Patroni v. gr. S. Andreę Apoſtoli in hanc Dominicam incidat, & quidem non ſine ingenti ad celebrandum tale Feſtum Populi concurſu; non ideò tamen in tali Eccleſia cantari poſſunt duę Miſſæ, una de Dominica ſine *Gloria in exc.* in paramentis violaceis, altera de Feſto dicti S. Andreę in paramentis coloris rubri cum *Gloria*, & *Credo* poſt Sextam; & licet *Caſtaldus* contrariam tueatur ſententiam, conſtat tamen ex recentiori Rubricarum Miſſalis recognitione, quę poſt editam a *Caſtaldo Praxim Cęrem.* facta fuit, quod in tali caſu unica tantum Miſſa de Dominica 1. Adventus cantari poteſt.

Dominica Secunda, Tertia, & Quarta Adventus ſunt 2. Claſſis; quapropter ſi Feſtum Primę Claſſis, puta Patroni, aut Titularis in eas incidat, fit de tali Feſto cum commemoratione Dominicæ, tam in Officio, quam in Miſſa, ac illius Evangelium legetur in fine Miſſæ. Verùm ſi in Quarta Dominica occurrat Vigilia Nat. Domini, tunc de prędicto Feſto Primæ Claſſis nihil fit, ſed transfertur in primam diem non impeditam.

Dominica Tertia Adventus (dicta Dominica *Gaudete* ab Introitu Miſſę) cum ſua hebdomada, habet aliquid diverſi ab aliis Dominicis, & hebdomadis Adventus. Nam Diaconus, & Subdiaconus in tali Dominica, & infra hebdomadam ſe-

ſequentem , quando tamen repetitur Miſſa Dominicæ , utuntur Dalmatica , & Tunicella . Item Altare aliquantulum Solemniùs parari debet, & inter candelabra apponenda ſunt vaſcula cum floribus , ſive etiam , ubi habentur , Imagines Sanctorum , vel Reliquiæ, *Caſtald. lib.* 3. *ſect.* 1. *n.* 3. Deniquè in eadem Dominica pullantur Organa in ſignum lętitiæ . Olim hæc Dominica adeò celebris habebatur, ut in Palatio Apoſtolico ipſemet Pontifex Miſſam Solemniter celebrare conſueverit , pręcedentibus Veſperis Papalibus, prout in Solemnioribus, *Marcell. Corcyrenſ. in Cęremoniali Romano lib.*2. *cap.* 6. *& Caſtald. ex eo*.

Dominicę poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam poſſunt eſſe vel ad ſummum ſex , vel ad minimum una , quo enim propior Epiphanię, vel ab ea remotior eſt Septuageſima (quę quidem major , aut minor diſtantia a Paſchatis mobili Feſto dependet), eo plures , vel pauciores ſunt Dominicæ infrà hoc tempus . Quod ſi alicui , vel aliquibus illarum poſt Epiphaniam celebrandis locus ordinarius non ſit ; tunc vel celebrantur Sabbato Septuageſimam præcedente, vel transferuntur poſt Dominicam XXIII. poſt Pentecoſten , ut patet ex Rubrica Miſſalis , quæ habetur poſt Miſſam , quę dicitur in Octava Epiphanię . Miſſa ſecundæ Dominicæ dicitur ſemper ante Septuageſimam ſaltem in Sabbato, vel alio die præcedenti , ut congruo tempore legatur Evangelium de aqua in vinum mutata , quod eſt initium miraculorum Chriſti . *Durandus lib.* 6. *cap.* 19. notat in Oratione hujus Dominicæ II. fieri mentionem de pace ; *Et pacem tuam noſtris concede temporibus*, quia in eadem Do-

Dominica S. Gregorius conciliavit pacem in Urbe, & Orbe; eſt tamen Oratio Ambroſiana *ex Pamelio*, translata in hunc locum a S, Gregorio.

Hinc ſi Dominica 2. poſt Epiphaniam fuerit Septuageſima, tunc in præcedenti Sabbato, ſi non fuerit impeditum Feſto Semiduplici, dicitur Miſſa de Dominica 2. poſt Epiphaniam. Et ſi Feſtum Simplex in eo occurrat, de eo facienda eſt commemoratio in Miſſa Dominicę; ſi verò Sabbatum illud fuerit impeditum Feſto aliquo Semiduplici, tunc prima die poſt Octavam Epiphanię, in qua non ſit Feſtum Duplex, dicitur Miſſa de 2. Dominica, & Feſtum Semiduplex eo die occurrens, transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam. Feſtum autem SS. Nominis Jeſu, quod ſub Ritu duplici ſecundę claſſis Dominica 2. celebrari debet, transferendum eſt ad primam diem non impeditam; nam Dominica Septuageſimę pręvalere debet.

De Dominica ſexta poſt Epiphaniam nullum habebatur Officium, nec Miſſa, quia rarò accidit, ut ſex occurrant Dominicæ ab Epiphania uſque ad Septuageſimam, & ſi quando accidiſſet, in ſexta Dominica repetebatur Officium, & Miſſa quintę Dominicæ. Pius autem Quintus, ut colligitur *ex Gavanto* interſeri juſſit Officium proprium, nec non Miſſam pro ſexta Dominica.

Dominicæ Septuageſimæ &c. *V. Septuageſima*.

Dominica prima Quadrageſimæ. Ab hac Dominica uſus vigebat antiquitus inchoandi Quadrageſimale jejunium, nempè a Feria ſecunda ſequenti (nam Dominicis diebus non ſervatur jejunium) ſed quia plerique vexabantur ſcrupu-

pulo non jejunandi quadraginta dies, ſicut fecit Chriſtus Dominus, ideò quatuor alii dies ante prędictam Dominicam adjecti ſunt ad cómplendum Quadrageſimale jejunium, quod a Feria quarta Cinerum initium cæpit habere, & Feria hæc *in capite jejunii* dicta fuit. Pręfati quatuor dies non erant pręſcripti in Hiſpania tempore S. Iſidori Hiſpalenſis, neque tempore quarti Concilii Toletani, imò neque Romę tempore S. Gregorii, qui *Hom.* 16. *in Evang.* expreſsè dicit, quod non jejunabatur, niſi 36. dierum ſpatio, propterea quod è quadraginta duorum dierum numero ſex Dominicæ ſubtrahendæ erant. In Eccleſia Mediolanenſi juxtà Ritus Ambroſianos adhuc viget uſus inchoandi jejunium ab hac Dominica.

* Hæc prima Dominica juxtà Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani eſt primę claſſis; undè quodcumque Feſtum in ea occurrens, etiam Patroni, vel Titularis, ſeu Dedicationis propriæ Eccleſiæ transfertur in primam ſequentem diem non impeditam. Altarę floribus non ornetur, neque apponantur Imagines, aut Reliquiæ inter candelabra. Miniſtri Sacri non utantur Dalmatica, & Tunicella, ſed Planetis plicatis, ſicut etiam in aliis Dominicis, & Feriis Quadrageſimę, excepta Dominica 4. ut poſtea dicemus.
Dominica ſecunda Quadrageſimę eſt ſecundę claſſis, ſicut pariter Dominica tertia, & quarta, atque adeò in eis fit tantum de Patrono, Titulari, & Dedicationis Eccleſię; ſed ſine Octava.
Dominica quarta Quadrageſimæ pulſantur Organa, & in Miſſa Solemni Miniſtri Sacri utuntur Dalmatica, & Tunicella coloris violacei. Altare pa-

paratur Feſtiviùs, quàm in aliis Dominicis; nam adhiberi poſſunt flores, Imagines, & Reliquię, quæ non poſſunt adhiberi in aliis Dominicis Quadrageſimę, *Bauldry part. 4. cap. 5. num. 4. Vinitor part. 6. tit. 4. num. 2.* Hæc Dominica dicitur *Lętare*, ab Introitu Miſſę: nominata etiam fuit Dominica *Panis*, quia legitur Evangelium multiplicationis panis, ſignificaturque in ea Populi Chriſtiani liberatio a tyrannica Idolorum ſervitute, *Durand. lib. 5. cap.* 53. Unde in ſignum lęti diei Cardinales induuntur veſtibus roſaceis, & Summus Pontifex eundo, & redeundo a Cappella, in ſignum lætitiæ fert Roſam auream in manu ab eo benedictam, quam deinde alicui Magno Principi mittere ſolet. Ver enim denuntiat, quod poſt Hyemis turbines ſuccedens, mundum lætificat. Antiquitus hęc Cęremonia fieri ſolebat in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem, ita colligitur ex Sermone *Innoc. III.* hac die habito. Solebant enim Romani Pontifices hac die tractatum ad Populum habere; & hinc Pius II. Sermonem pariter hac Dominica habuit, & Roſam ab eo benedictam ad ſuam Senenſem Patriam miſit.

Dominica de Paſſione eſt Primæ Claſſis. In Eccleſiis tamen, ubi hac die eſt Titulus Eccleſię, vel concurſum Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet (v. gr. S. Joſephi, aut Annunciationis B. M. V.) poſſunt, juxtà Rubricam Generalem Miſſalis hac Dominica cantari duę Miſſæ, una de die poſt Tertiam, altera de Feſto poſt Nonam; diciturque in Miſſa de Feſto Pſ. *Judica*, *Gloria*, *Credo*, & *Tractus*; Item Præfatio de eodem Feſto, ſi pro-

pri-

priam habeat, ſine ulla commemoratione. Admittit etiam hæc Dominica commemorationem Feſti Simplicis. Verùm cum in Miſſà hujus Dominicę duę Orationes tantum ſint dicendę, nimirum Oratio propria hujus diei, & altera vel contrà Perſecutores Eccleſiæ, vel pro Papa; Notandum quod occurrente Feſto Simplici, dici non debet tertia Oratio, nimirum ſecunda de Feſto Simplici, tertia *Eccleſię*, vel pro Papa; Sed pręter Orationem diei, & aliam de Simplici, nulla alia Oratio dicenda eſt; quod pluribus Decretis a S. R. C. ſtatutum eſt, & poſtremò *in Piſtorien. 4. Maii* 1709. . Atque hujuſmodi Ritus duarum Orationum in Miſſis de tempore ab hac die, uſque ad Feriam V. in Cęna Domini excluſivè ſervari debet.

* Sabbato pręcedente hanc Dominicam, ante Veſperas Primas de eadem Dominica, etiamſi ſint de Sancto, teguntur juxtà *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 20. Cruces, & Imagines Salvatoris per Eccleſiam velis violacei coloris, in quibus non appareat ulla Figura, ſeu Imago, ne Inſignia quidem Paſſionis, *Meratus part.* 4. *tit.* 7. *num.* 7. Non ſolum Cruces, & Imagines Salvatoris tegi debent, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum, quæ reperiuntur in Eccleſia, ut declaravit *S. R. C.* 4. *Aug.* 1663. Prędictæ autem Cruces ità velatæ manere debent uſque ad Feriam VI. in Paraſceve; qua die non ſolum detegitur Crux adoranda ab Officiatore, ſed etiam detegi debent poſt talem Functionem alię Cruces, quæ ſunt in Eccleſia: Non item Imagines Sanctorum, & Icones Altarium, quę omnes tectę manent uſque

ad

ad finem Litaniarum Sabbati Sancti. Et notandum, quod *ex Decr. S.R.C.* 16. *Nov.* 1649. dictæ Imagines, & Cruces detegi non debent etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum S. Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ; nec mutandum eſt velum juxtà colorem Feſtorum occurrentium, ut optime docet *Guyetus lib.* 4. *cap.* 18. *queſt.* 25. Hoc autem Ritu tegendi Cruces ſignificatur, *ex Gavant.* jam Chriſtum non in palàm ambulaſſe apud Judeos hoc tempore, & abſcondiſſe ſe, ut dicitur in Evangelio Dominicæ. *Rupert.* deinde *lib.* 5. *cap.* 1. probat veriſimiliter in Veſperis Sabbati ante Dominicam de Paſſione coactum fuiſſe Concilium adverſus Jeſum; ideoque mæſtitia major convenit Eccleſiaſticis Officiis; & hinc in Miſſa hujus Dominicę, & cęteris deinceps Miſſis de Tempore uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè poſt *Introibo*, non dicitur Pſalm. *Judica me Deus*, nec *Gloria Patri* ad Introitum, nec ad finem Pſalmi *Lavabo*. Si autem in Feriis ſequentibus ad hanc Dominicam occurrat Feſtum Duplex, aut Semiduplex, fit de eo Officium, & Miſsa, ut in Rubricis Miſsalis, & Breviarii pręſcribitur; & in tali Miſſa, ſicut & in Miſſis Votivis hujus hebdomadę (etiam ea, quę dicitur de Paſſione, aut de Cruce) dicitut Pſalmus *Judica me &c.*, *Gloria Patri* ad Introitum, & ad Pſalmum *Lavabo*.

Dominica Palmarum dicta eſt *in Ord. Rom.* Palmarum, ſive Florum, ſive Ramorum, Oſanna, Paſcha competentium, ideſt ſimul petentium Symbolum ante Baptiſmum *ex Alcuin.* & Capitolavium, quia in hac die lavabantur capita

un-

ungendorum in Sabbato Sancto *ex Iſidor. lib. 1. cap. 27.* Item Hebdomada major *apud Chryſoſt. hom. 30. in cap. 10. Gen.* quia in ea Officium majus celebratur *Ord. Rom.*, vel, ut ait *Microlog. cap. 52.* ob Sanctiſſimum Dominicę Paſſionis Sacramentum.

* Benedictionis Palmarum, ſeu Olivarum Ritus in hac Dominica, quidquid dicat *Martene*, antiquiſſimus eſt. Nam in Sacramentario S. Gregorii Magni a Clariſſimo *Menardo* edito, hujus Benedictionis mentionem fieri apertiſſimè liquet in Oratione, quę Communionem pręcedit, in qua Deo dicitur; quemadmodum Fideles ſe illi offerebant eo die cum frondibus Palmarum, & Ramorum, velle eos poſt mortem recipere Palmis victoriæ pręcinctos, & bonorum operum fructibus exornatos &c. Imo, ut dubium omne tollatur, in Codice Membranaceo Sacramentarii Gregoriani, qui reperiebatur in Bibliotheca Reginę Svetię ſupra octingentos annos exarato, hęc leguntur a Doctiſſimo *Thomaſio* obſervata = Die Dominico in Palmis ad S. Joannem in Lateranis Benedictio in Palmis: *Deus, cujus Filius &c.*

* Praxis autem Ritus Solemnis Benedictionis Palmarum hęc eſt. Altare hac die parcè paretur, non cum Floribus, vel Imaginibus Solemnitatem indicantibus, ſed intrà candelabra interponi poterunt Rami Palmarum, ſive Olivarum auro, vel argento decenter ornati. Pallium Altaris debet eſſe coloris violacei. Si ad Altare ſit Sacramentum in Tabernaculo, non debet pro facienda hac functione amoveri. *Bauldry part. 4. art. 1. Biſſus Lit. B. n. 225.* Super Creden-

dentiam ponatur Thuribulum cum Navicula; & prętér alia requiſita pro Miſſa Solemni, Vas aquę benedictę, cum Aſperſorio, & Bacile cum manutergio, nec non Vas aliud, ſeu Urceus aquę pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis poſt Palmarum diſtributionem. Item paretur alia Credentia in cornu Epiſtolę propè Altare verſus cornu poſterius, linteo pulchro undequaque contecta, ſuper quam ponantur Palmę, & Rami Olivarum, ſeu illis deficientibus aliarum arborum, in quibus Ramis inſerantur, ſi fieri poreſt, Cruces ex Palma; Et omnes ſupradicti Rami tegantur ſuper Credentiam mappa munda, vel alio velo decenti, uſque dum fiat eorum Benedictio, *Bauld. & Biſſus*.

* Facta aſperſione aquę more ſolito, ſed ſine *Gloria Patri*, Celebrans indutus Pluviali violaceo, (vel ſine Caſula) aſcendit ad Altare medius inter Sacros Miniſtros Planetis plicatis indutos, qui omnia pręſtare debent, quę in Benedictione Cinerum. *V. Cineres*. Celebrans oſculato Altari in medio, accedit ad cornu Epiſtolę, ibiquè legit, non ſe ſignans, Antiphonam *Hoſanna*, quam interim Cantores inchoant, & Chorus proſequitur, *Biſſus, & Bauldry*; qua cantata, Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolę inter Miniſtros Sacros, non converſus ad Populum, ſed verſus Altare manibus junctis dicit, *Dominus vobiſcum*, & Orationem in tono Feriali, *Bauldry*; & interim Subdiaconus, vadit ad Credentiam, ubi depoſita Planeta plicata, (ſi ea utatur) ſumit ambabus manibus Miſſale, & comitatus a Cęremoniario, vel ab alio, facta de

more debita reverentia Altari, & Choro, accedit ad locum ſolitum pro cantanda Epiſtola; ibique in tono conſueto Epiſtolæ cantat Lectionem *de Libro Exodi*, eadem prorſus faciendo, quę pro Epiſtola Miſſę, oſculando etiam manum Celebrantis in fine, ſed non defert Miſſale Celebranti ad cornu Evangelii, quia Celebrans legit illud in cornu Epiſtolæ (pręmiſſis *Graduale*, *Munda cor meum*, & *Jube Domine ben.* ibidem, & non in medio Altaris, profundè inclinatus de more verſus Crucem) dum autem Celebrans legit Evangelium, Subdiaconus interim, reddito Miſſali clauſo Cęremoniario, & & factis iterum debitis reverentiis Altari, & Choro, ad Credentiam accedit, ubi Planetam plicatam reſumit. Liberum tamen eſt Celebranti recitare tam Epiſtolam, quam ea, quæ ſequuntur, uſquæ ad Evangelium incluſivè, *Bauldry*, *Biſſus*, *& Gavant. in Cęrem. ſuę Congr. Cler. Reg. S. Pauli lib.* 2. *cap.* 2. Diaconus autem, depoſita prius Planeta plicata, & ſumpta Stola latiori loco Planetæ, defert de more Miſſale ante pectus ſuper medium Altaris: interim Thuriferarius tempeſtivè accedit ad cornu Epiſtolę cum Thuribulo, & Navicula, ibique Celebrans, Diacono miniſtrante, ac ſtante a dextris ejus, ponit Thus in Thuribulo de more cum Benedictione, ut ad Evangelium, quo facto Diaconus genuflexus in medio Altaris ſuper ſuppedaneum, & inclinatus verſus prædictum Altare, manibus junctis dicit: *Munda cor meum &c.* Deinde ſtante ſemper Celebrante a cornu Epiſtolę omnia peraguntur a Diacono, & aliis ſicut in Miſſa Solemni dum cantatur Evange-

lium , quo terminato, Subdiaconus defert librum oſculandum Sacerdoti , qui & incenſatur a Diacono ; quibus peractis Diaconus iterum Planetam plicatam reſumit.

* Quod ſi Celebrans perageret hanc Benedictionem ſine Miniſtris Sacris, ipſemet ſtans in cornu Epiſtolæ , poſt lectam ab aliquo Clerico Lectionem, & poſt cantatum in Choro Graduale , ſeu Reſponſorium , adhibito incenſo , ipſemet, inquam, Sacerdos cantare debet Evangelium Benedictionis in cornu Epiſtolæ *juxtà Decr. S. R. C. 27. Apr.* 1697.

* His peractis Celebrans manibus junctis benedicit prędictos Ramos, ſtans in cornu Epiſtolę aliquantulum ad Ramos converſus (Miniſtris Sacris hinc inde ſtantibus junctis manibus), dicit *Dominus vobiſcum* in tono feriali , deinde Orationem , *Auge fidem &c.* præmiſſo *Oremus* , qua finita proſequitur Celebrans Præfationem , manibus tamen junctis, & in fine dicit *Sanctus* cum Miniſtris , qui ſe ſimul inclinant , & ad *Benedictus qui venit*, erecti de more ſe ſignant, *Bauldr. & Vinitor* . Cum Celebrans Ramos dexterà benedicit ſigno Crucis ad illam notam ✠ , ſiniſtram ſuper Altare ponere debet , & Diaconus fimbriam Pluvialis illi elevare debet ; Interim qui ſunt in Choro, ſtant verſus Altare detecto capite , & inclinant ſe cum nomen *Jeſu* profertur , *Bauldr. Vinitor*, *& Biſſus* . Aſpergendi demum ſunt Rami , & incenſandi Ritu ad Benedictionem Cinerum tradito.

* In Diſtributione Palmarum ea omnia pariter ſervanda ſunt , quæ in Cinerum impoſitione pro perſonarum diverſitate præſcripta ſunt ; addi-

ditis tantum ab accipientibus Palmas oſculis ipſius Palmę, & manus Celebrantis; animadvertendo tamen, quod Celebrans manum Dignioris de Choro, a quo Palmam accepit, oſculari non debet, ſed tantum Palmam ipſam; quod, & Dignior ipſe, & Canonici Cathedralis, cum Palmas a Celebrante recipiunt, pręſtare debent.

* Celebrans completa diſtributione Palmarum, ſi eas diſtribuerit etiam Populo ad Cancellos, antequam aſcendat ad Altare, debet pergere ad cornu Epiſtolæ per planum, ut ibi lavet manus cum medulla panis, ac tergat. Tum aſcendet ad librum per gradus Epiſtolę. Si autem non ad Cancellos Palmas diſtribuerit, ſtans in cornu Epiſtolę, ibi manus lavabit; quibus lotis, ante librum, junctis manibus dicet, *Dominus vobiſcum*, & Orationem, qua finita perget ad medium Altaris, ubi ſtans, more ſolito imponet, ac benedicet Incenſum, miniſtrante Naviculam Diacono, & Thuriferario Thuribulum. Interim aliquis Acolytus infiget, ſeu vitta violacea ligabit in ſummitate Crucis Proceſſionalis (velo violaceo tectę) Ramuſculum ex Palmis, ſeu Olivis benedictis; *Polaccus in Aphoriſmis 9. dub.* §. 8. Quo facto Diaconus, ſuo Manipulo depoſito, accipiet ab aliquo Acolyto Palmam Celebrantis, quam eidem pręhebit cum oſculis ipſius Palmę, & manus illius. Tum ſuam accipiet ab eodem Acolyto porrigente, quam tenebit ipſe Diaconus ſiniſtrà; Celebrans verò ſuam dextrà. Mox Diaconus, facta genuflexione Altari, convertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum; ſtanſquè in ſuo gradu poſt Celebrantem, dicet: *Procedamus in pace*: cui reſpondet Chorus: *In nomi-*

 mi-

mine Chriſti amen; & continuo Diaconus vertit ſe ad Altare, nulla facta genuflexione. Interim Subdiaconus Miſſæ, & non alius, depoſito manipulo, & etiam Ramis in loco congruo, accipit Crucem; & Celebrans facta debita reverentia Altari, deſcendit in planum, ubi a Diacono accipit Birretum, ſicut etiam ipſe Diaconus accipit ſuum a Ceremoniario, vel ab alio Miniſtro, & ſtatim ordinatur Proceſſio hoc modo: Precedit omnium primus Thuriferarius; ſequitur poſtea Subdiaconus (medius inter duos Ceroferarios) cum Cruce habente Crucifixi effigiem, quæ Thuriferarium precedentem reſpiciet; poſtea ſequuntur Clerici primò juniores, deinde alii ordinatim; procedunt autem bini ſimul, & ſi numerus ſit impar, ſenior, vel ſuperior procedat medius inter duos: Palmas vero ſic deferunt, ut qui eſt a dexteris, eam deferat ſiniſtra manu. Ultimus omnium erit Celebrans capite tecto, habens Diaconum a ſiniſtris, qui tamen non elevat fimbriam Pluvialis Celebrantis, & procedit capite tecto, habentes ambo ſuum Ramum. *Biſſus tom. 2. lit. P. n.* 225. Si adſint Prelati, immediate poſt Celebrantem procedunt; deinde Nobiles, & reliqui de Populo, & ubi eſt conſuetudo, ut Sodales Congregationis ad Proceſſionem accedant, ante Clericos, & bini pariter, ac Palmas in manibus geſtantes procedere debent, *Caſtald. lib. 3. ſect. 4. n. 4.* Cantores verò incipiunt Antiphonam, *Cum appropinquaſſet &c.* & alias, quando opus erit, quas Chorus proſequitur quamdiu durat Proceſſio, poſſuntque repeti, ſi longior ſit, & breviari, ſi brevior. Dum ſit Proceſſio duo,

aut

aut quatuor Cantores deputati intrant in Eccleſiam , cujus fores claudunt , ibique expectant Proceſſionem : Quę cum advenerit ad prædictas fores , Subdiaconus deferens Crucem, verſus ad eas medius inter Ceroferarios , ſiſtit ſe ; Chorus verò ſtat in duas partes diviſus , vel per gyrum circumſtat (aut commodiori modo , quo poteſt fieri) medium habens Celebrantem (ſtante Diacono a ſiniſtris ejus) directè converſum ad Crucem , habentem Imaginem Crucifixi tunc ad ipſum Celebrantem converſam , *Gavant. & Bauldry* . Tum illi , qui ſunt in Eccleſia incipiunt verſum *Gloria laus* , quem integrè proſequuntur cum alio ſequenti ; Celebrans verò tecto , & alii nudo capite repetunt eoſdem verſus etiam integrè , *Gavant.* Deinde prędicti Cantores, qui ſunt intrà Eccleſiam cantant alios duos verſus ſequentes , tum qui extrà repetunt primos duos, ſcilicet *Gloria laus* , quod ſimiliter faciunt iterum , atque iterum poſt quoslibet verſus, qui conſequenter cantantur ab iiſdem , qui ſunt intra Eccleſiam . Licet autem teneat *Bauldry* omnes prorſus hos verſus cantari debere , non tamen id ex Miſſali recognito , ut aſſerit ille , colligitur : nam legitur in dicto Miſſali : *Hi ℣℣. cantentur omnes , vel partim , prout videbitur* . Quibus itaque cantatis, Subdiaconus ima parte haſtili Crucis , non amota Cruce ab ipſo haſtili, percutit Portam nihil dicens , in ima etiam parte ipſius Portę , ita ut fragor audiri poſſit ab iis , qui ſunt intrà Eccleſiam , a quibus ſtatim aperitur , & Proceſſio Eccleſiam ingreditur . Mox Cantores incipiunt Reſponſorium , *Ingrediente Domino* , ex Rituale Pauli V.

 &

& Chorus illud proſequitur ſine verſu *Gloria Patri* . Cum autem Proceſſio ad Altare pervenerit , Subdiaconus Crucem in loco congruo deponit propè Credentiam , quæ ſtatim ab aliquo Acolyto in Sacriſtiam defertur . Ceroferarii verò deponunt ſua Candelabra ſuper eamdem Credentiam , *Bauldry* . Celebrans verò medius inter Diaconum , & Subdiaconum ; accedit ante infimum gradum Altaris , ibique deponit ſuam Palmam (ſicuti , & Diaconus eam Cęremoniario, vel alicui Acolyto tradendo) , & facta debita reverentia Altari , & Choro , retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ , ubi depoſito Pluviali , accipit Manipulum (ſicut & Miniſtri Sacri ſuos accipiunt , quos ante Proceſſionem depoſuerant) & Planetam . Tum Celebrans , cum præfatis Miniſtris Sacris , accedit iterum ad medium Altaris ante infimum gradum , ut Miſſam celebret , *Cęrem. Epiſc. lib* 2. *cap.* 17.

* Hęc autem Miſſa Solemnis [quantùm fieri poteſt] ab eodem celebrari debet , qui Ramos benedixit ; ut alias diximus de Feria IV. Cinerum , Decretum allegantes S. R. C. Cum Subdiaconus pronuntiat in Epiſtola ea verba : *Ut in Nomine Jeſu &c.* omnes genuflectere debent uſque ad terram ; & permanebunt genuflexi uſque ad verba illa *& infernorum* incluſivè , *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 21. Celebrans verò genuflectit , cum Diacono a ſiniſtris ejus , ſuper ſuppedaneum Altaris ante medium ipſius *Bauldry* : niſi tamen Celebrans eſſet impeditus ad alia dicenda, puta *Graduale* , vel *Tractum* , quia tunc ibidem cum Diacono deberet genuflectere , & non in medio . Subdiaconus , cantata Epiſtola , manum

Ce-

Celebrantis oſculatur, Librum verò Acolyto tradit, reſumptàque Planeta plicata, Celebranti una cum Diacono aſſiſtit, *Caſtald. lib.* 3.

* Finita Epiſtola debent parari per Acolytos tria legilia nuda, & ea collocari in recta linea, tendente ab Ortu, ad Occaſum in plano, ubi ſolet Evangelium decantari, vel alibi, ubi ſcilicet Paſſio cantatur de more; & circa initium Tractus (qui ſemper ex integro cantatur) tres, qui ſunt cantaturi Paſſionem, pergunt ad Sacriſtiam, & parant ſe habitu Diaconali, Amictu, ſcilicet, Alba, Manipulo, & Stola communi, ſeu latiori ab humero ſiniſtro pendente, coloris violacei; & circa finem Tractus procedunt a Sacriſtia, ad Presbyterium ſequenti Ordine: Antecedit aliquis Cęremoniarius, vel etiam Thuriferarius ſine Thuribulo; tum ille, qui Evangeliſtę partes agit ſolus; deinde ſequitur, qui Turbarum Perſonam: ultimus, qui refert Perſonam Chriſti; omneſque incedunt nudo capite, manibus junctis ante pectus (ſi Codices continentes Paſſionem poſiti ſint ſuper legilia) ſin minus, deferunt ipſi unuſquiſque ſuum Miſſale ante pectus ambabus manibus, ſequentibus tribus Clericis, diverſis a Clericis Officii, indutis ſuperpelliceo ſine Candelabris, & ſine Incenſo, ſed manibus junctis; *Cęrem. Epiſc. Chriſtianus ſect.* 1. *cap.* 9. *& Gavant.* Cum pervenerint ad Altare pręfati tres Diaconi genuflectunt ſuper infimum gradum; ita, ut qui Perſonam Chriſti agit ſit in medio, qui Evangeliſtę a dextris; & qui Turbarum a ſiniſtris; (tres autem Clerici genuflectunt in plano cum Cęremoniario) pauſantes aliquantulum, ſed nihil

dicentes, tunc ſurgunt, non petita, nec habita Benedictione, Auctor enim Benedictionis extinctus legitur *Gavant.*; ſed facta iterum debita Altari reverentia, & Celebranti inclinatione, accedunt ad legilia, & ibi ſtant in recta linea facie verſa ad eam partem, quę pro Aquilone figuratur, ſed hoc ordine: Qui Evangeliſtam agit, medium locum teneb̄t, qui Chriſtum dexteram, & qui Turbas ſiniſtram Evangeliſtæ occupent, *Gavant. Bauld. Bralion*, *a Portu*, & alii. Tres verò Acolyti ſtant ante eos terga Aquiloni vertentes, quorum qui eſt medius [ſi uno tantum utantur Libro] teneat ipſum Librum, quem inter ſe mutuant ęquali ſpatio, dum Paſſio cantatur; Si autem ſinguli Diaconi Paſſionem cantantes in tribus legilibus ſuum habebunt Librum, duo tantum Acolyti ſuperpelliceis induti aſſiſtunt poſt lectorilia, vel a lateribus eorumdem, prout loci ratio poſtulaverit, vel ſi tres adhibeantur Clerici, juxtà praxim aliquarum Eccleſiarum, apponent unuſquiſque manus ad legilia, quaſi Librum tenentes: numquam tamen prędicti Clerici, ſive duo, ſive tres, aſſiſtunt retrò poſt Diaconos cantantes Paſſionem; ſolum verò aſſiſtunt retrò poſt dictos Diaconos, quando ipſi cantant Paſſionem in Pulpito ſeu Ambone, *Caſtald. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 5. Si deſint Cantores *Gavantus part.* 4. *tit.* 9. *Rubr.* 5. ait, quod ſolus Diaconus cantare debet totam Paſſionem &c. non approbando diſtinctionem, ſeu diſtributionem Paſſionis inter Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ita ut Celebrans vicem Chriſti gerat, & Subdiaconus Turbarum. Sed improbatur *a Merato*,

&

& jure quidem meritò, quod Diaconus ſolus cantet totam Paſſionem, non enim hic Sacer Miniſter poteſt variis modulationibus, nunc Chriſti, nunc Evangeliſtę, modò Turbarum Perſonam induere, cum nimis improbus eſſet hic labor, & non ad pietatem, ſed potius ad riſum moveret Populum. In defectu igitur Cantorum, Celebrans Perſonam Chriſti, Diaconus Evangeliſtę, & Subdiaconus Turbarum agat; quę quidem, *ut ait idem Meratus*, eſt praxis multarum Eccleſiarum ſufficientiam Cantorum non habentium.

* Cum inchoatur Paſſio a Cantoribus, Celebrans ſurgit, ſi ſedeat, & accedit ad cornu Epiſtolæ, non Evangelii, ubi Palmam tenens ſiniſtrà *ex Cęrem. Rom. lib. 2. cap.* 41. eam Paſſionem legit paululum ad Cantores converſus, Miniſtris ſtantibus apud eum, ut in Introitu Miſſę, etiam Ramos ſiniſtrà tenentibus, ſicut etiam omnes alii, qui ſunt in Eccleſia manibus eos tenent, exceptis Cantoribus, & Acolytis. Diaconus verò folia Miſſalis vertit, quando opus eſt, *Bauldry*. Et cum Celebrans ad mortem Chryſti pervenerit, non genuflectit, niſi ſimul cum prędictis Cantoribus, ut infra dicemus, *Gavant*. *Bauldry*, & alii plurimi. Poſtquam autem Celebrans Paſſionem integrè legerit [ſcilicet uſque ad eam partem, quę cantanda eſt a Diacono in tono Evangelii] ſe vertit cum Miniſtris ad Cantores cum Palma in manu, & ſtat, ut ſolet ad Miſſam dum cantatur Evangelium; Diaconus ſtat ad ejus ſiniſtram, & Subdiaconus ad ſiniſtram Diaconi, omnes cum Palmis in manibus, *ita Cęrem. Rom.* ſed addendum cum *Bralion*. quod omnes

omnes tunc debent tenere Palmas in dextera, ſiniſtra pectori admota. Dum profertur nomen Jeſus, tam Celebrans, quam Miniſtri, & reliqui de Clero inclinant ſe verſus Crucem Altaris. Ad hęc autem verba: *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, omnes genuflectere debent utroque genu (Cantores quidem verſus Librum, reliqui verò quilibet in ſuo loco, facie tamen verſus Crucem Altaris converſa, *Caſtald.*); & ideo antequam prædicta verba cantentur, Celebrans, & Miniſtri Sacri accedunt ad medium Altaris, deſcendentes uſque ad ſecundum gradum, & genuflectunt ſuper ſuppedaneum utroque genu, nec prius ipſo Evangeliſta ſurgant; qui Evangeliſta non genuflectit, niſi prolatis a ſe omnibus dictis verbis, *Biſſus lit. P.* ſicque genuflexi pauſant aliquantulum ſaltem per ſpatium unius *Pater noſter* ex Marcello *lib. 2. cap.* 39. Atque omnibus erectis, ſequuntur Cantores ea, quę remanent de Paſſione, & Celebrans cum Miniſtris Sacris redeunt ad locum ſuum; cumque dicti Cantores ad eam Paſſionis partem pervenerint, quę cantari debet a Diacono Miſſę in tono Evangelii, facta Altari, Celebranti, & Choro debita reverentia, redeunt ad Sacriſtiam eo ordine, quo venerunt, comite Cęremoniario; & ſi codices Evangeliorum non geſtent, recedunt manibus junctis, excepto eo qui Perſonam Evangeliſtę agit, qui ſuum defert ambabus manibus ante pectus, *Bauldry*. Celebrans verò procedit ad medium Altaris de more, ibique dicit, *Munda cor meum &c.* & Subdiaconus interim, depoſito ſuo Ramo ad cornu Epiſtolę, transfert

Li-

Librum ad cornu Evangelii, ubi accedens Celebrans legit, non ſignans nec Librum, nec ſeipſum, reliquam partem Paſſionis, quę habetur loco Evangelii, aſſiſtente ſibi Subdiacono, qui etiam reſpondet, *Laus tibi Chriſte*, ut in aliis Miſſis. Interim Diaconus Miſſę, depoſita Planeta plicata, accipit Stolam latiorem, & deponit Librum in medio Altaris; & cum Celebrans redierit ad medium Altaris, imponitur Incenſum in Thuribulo de more; deinde Diaconus genuflexus dicit *Munda cor meum*, & petit Benedictionem more ſolito, & accepto Libro, vadit ad planum Chori, ubi legit Evangelium, comitantibus Acolytis [ſine luminaribus tamen] ut in aliis Miſſis; quo finito, Subdiaconus defert Librum oſculandum Celebranti, & deinde Diaconus eum incenſat, & Miſſa proſequitur, ut moris eſt.

* Notandum, quod *ex Bauldry* hæc Paſſionis pars, quæ pro Evangelio habetur, legitur a Celebrante ſtatim poſt genuflexionem ad verba: *emiſit ſpiritum*. At Nicolaus de Bralion *ex Cęrem. Epiſc.* eam cantata omninò Paſſione, ut ſupra diximus, legendam eſſe cenſet; nec ulla fit, inquit, interruptio Officii, quamvis a Choro nihil cantetur; ſufficit enim, quod Celebrans, & Miniſtri ad Altare ſuum munus exequantur.

* Eodem autem modo, ſi ſit conſuetudo in majoribus Eccleſiis, cantari debet Paſſio Feria Tertia, & Quarta ſequentibus, cum totidem Miniſtris.

* Notę illæ, quæ in Miſſali apponuntur non multum antiquæ, videlicet ✠ C. S. ſignificant, Chriſtum, Chroniſtam, & Synagogam; vel Chri-

ſtum

ſtum, Cantorem, & Succentorem, quia hodie Diaconi iſti vocantur Cantores Paſſionis.

* In Miſſis privatis, dicto Tractu a Sacerdote, Miniſter defert Miſſale ad cornu Evangelii cum debitis genuflexionibus, & Celebrans ad illud etiam accedit, facta prius in medio inclinatione, ibique, non ſe ſignans, Paſſionem dicit abſolutè, *Paſſio Domini noſtri &c.* graviter, & devotè. Ad verba *Emiſit Spiritum*, genuflectit ipſe verſus Librum. pauſans aliquantulum; & antequam eam partem legat, quę dicenda eſt in tono Evangelii, dicit *Munda cor meum* in medio Altaris; & in fine Miſſę dicit Evangelium *Cum appropinquaſſet*, niſi illud dixerit ad Benedictionem Ramorum, quę privatim ab eo facta fuit, quia tunc dicere debet Evangelium S. Joannis.

* Huc ſpectat Decretum a S. R. C. editum *die 7. Julii 1612.* in quo ſtatuitur, quod ubi adeſt, conuetudo etiam Canonici cantare debeant Paſſionem.

Dominicę poſt Pentecoſten non erant antiquitus ultrà viginti tres, & ſequens ſpectabat ad Adventum. Hodie verò quando plures Dominicę occurrunt poſt Pentecoſten ultrà viginti quatuor, eo caſu differtur vigeſima quarta in ultimum locum, cujus Evangelium eſt de fine Mundi, legendum idcircò in fine anni Eccleſiaſtici, qui incipit ab Adventu, & deſinit ante Adventum. Poſt vigeſimam tertiam ponuntur Miſſę Dominicarum, quę ſuperfuerunt poſt Ephiphaniam, dato eiſdem Introitu, cum ſuis acceſſoriis mutuatis a Dominica XXIII. & XXIV. ut ejuſdem rationis tunc eſſe videantur, *Gavant. part. 4. tit. 12.*

Dominus vobiſcum, *in Ord. Rom.* habetur, quę ſalu-

lutationis forma ad verbum legitur *Ruth.* 2. *&* 2. *Paral.* 15. ferè ſimili uſus eſt Gabriel Angelus ſalutando Mariam., *Dominus tecum*; ſed vim, & efficaciam habet a Chriſto, qui dixit, *Ego vobiſcum ſum. Matth. ultimo*. Ritus emanat a Clemente, vel Anacleto Papa, ex *Hugon. Vict.* vel ab utroque ex *Radulph.* & eſt ſenſus : *Dominus in vobis maneat, & petitionibus veſtris effectum tribuat*, Durand. *lib.* 4. *cap.* 14. dicitur autem *Dominus* non *Deus*, quia *Dominus* poteſtatis eſt titulus, *Turrecrem. in cap. Jacobus de Conſ. diſt.* 1. Pontifex, vel Epiſcopus cum Populum ſalutat prima vice in Miſſà ante primam Orationem, non dicit *Dominus vobiſcum* ſed, *Pax vobis*, quia Chriſtus Dominus his verbis locutus eſt ad Diſcipulos poſt ſuam Reſurrectionem, *Joan. Cap.* 20. cujus Typum gerunt Pontifex, & Epiſcopus. Verum ut poſtea demonſtret Epiſcopus ſe eſſe de numero cęterorum Sacerdotum, dicit, ut alii Sacerdotes, *Dominus vobiſcum*, cum aliàs Populum ſalutat; *Innoc. III. lib.* 2. *de Myſt. Miſſæ*. Septem ſanè vicibus dicitur in Miſſa *Dominus vobiſcum*, & ex his ſeptem, ter non vertit ſe Sacerdos ad Populum, nempè in fine Confeſſionis, ante Evangelium, & in Pręfatione; & in hac quidem, *ex Innoc.* quia cor habet ſurſum ad Dominum, jamquè proximo Sacrificio totus intentus eſt: Ad Evangelium autem, quia *ex Durand*, totus eſt intentus ad verbum Dei annunciandum : & in fine Confeſſionis totus eſt ad ſe purgandum.

Cum autem Sacerdos ſe vertere debet Populo, ut dicat *Dominus vobiſcum*, manibus hinc, inde ſuper

Al-

Altare poſitis extra Corporale, Altare ipſum oſculatur in medio; deinde manibus junctis ante pectus, & oculis ad terram demiſſis, non verò clauſis, vertit ſe a ſiniſtro latere Altaris, quod eſt dexterum Sacerdotis, atque in medio conſiſtit, & circuli, & Altaris: ibi extendit, & jungit manus ante pectus dicens, *Dominus vobiſcum* non inclinando caput, aut manus Populo, nec innitendo Altari, quod a tergo relinquit, nè complicetur Planeta cum detrimento, & indecore. Manus autem non ultrà latitudinem Corporis, ideſt, non extrà humeros extendendę ſunt; debent tamen ſic disjunctę aliquantulum elevari juxtà *Gavanti*, & aliorum ſententiam. Miniſter verò, Eccleſię, & circumſtantium nomine reſpondet ſtatim Sacerdoti, *Et cum ſpiritu tuo*, inclinato aliquantulum capite in ſuę reverentię ſignum erga Sacerdotalem ſalutationem, *Caſtald. lib. 1. cap. 8. Corſett. tract. 1. part. 1. cap. 7.* Prolatis autem dictis verbis a Miniſtro, Sacerdos junctis manibus ante pectus, revertitur per eamdem viam ad Librum in cornu Epiſtolę.

Domnus, titulus eſt, qui convenit ſolum homini pręclaro: hinc Pontifex in Litaniis vocatur *Domnus Apoſtolicus*; & Diaconus etiam in Miſſa Solemni, qui petit Benedictionem a Celebrante optimè dicit *Jube Domne benedicere*, antequam procedat ad cantandum Evangelium; ita etiam quilibet alius inferior Epiſcopo, dicere debet *Jube Domne benedicere* in Choro petens a ſuo Superiore Benedictionem. E contrà verò Epiſcopus, quando cantare debet ultimam Lectionem, cum a Deo Benedictionem petat, quia ibi non ha-

habet hominem ſuperiorem, dicit *Jube Domine benedicere* Biſſus, a Portu, atque alii. Ita Sacerdos in Miſſa privata, dicto *Munda cor meum*, dicere debet *Jube Domine benedicere*, quia non hominem alloquitur, ſed Deum, a quo tamquam univerſorum Domino petit Benedictionem.

E C

Eccleſia vox Greça eſt, & Concionem ſignificat *Act.* 19. ſeu Convocationem *ex Cyrill. Cathec.* 18. Dicta eſt Cenaculum a Cena Domini, apud *Baron. Ann.* 57. *&* 59. Domus Dei, Orationis, Dominicum, quaſi Domini locus, Templum, quaſi tectum amplum, Baſilica Regis Regum, Martyrium, Confeſſio, & Oratorium; lege *Durand. lib.* 1. *de Rit. cap.* 1. Ejus Dedicatio Anniverſaria celebratur: ſed *V. Dedicatio Eccleſię*.

Elevatio Hoſtię &c. *V. Hoſtia*, *&* *Calix*.

Epiphania, Greça vox, quę latinè ſonat apparitio, ſeu manifeſtatio, ſive quia hac die celebratur etiam Chriſti Baptiſmus, & Divina manifeſtatio ſuę gloriæ illis verbis ſui Æterni Patris facta: *Hic eſt Filius meus dilectus &c.* ſive quia in hac die adoratus fuit a Magis, & Gentibus manifeſtatus eſt. Appellatur etiam hoc Feſtum *Theophania*, quę vox Dei preſentiam ſignificat, propterea quod Pater Divinus preſentiam ſuam in Filii Baptiſmo manifeſtaverat. Tria objecta in hoc Feſtum coaluere; nimirum Chriſti Baptiſmus, miraculum in nuptiis ab eo factum, quo aqua in vinum converſa eſt, & adoratio Magorum. Quæ omnia patent *ex S. Iſidoro Hiſp.* & ex Hymno Prudentii, quem ad Divina Officia adhibet Eccleſia. Feſtum hoc

eſt

eſt antiquiſſimum tum in Oriente, tum in Occidente; & eſt unum ex illis, quę ab Eccleſia latina vocantur, *Sacratiſſima*, *Sacroſancta*, in Canone Miſſę, propterea quod circa ea totus Divini Officii ordo verſatur.

Infrà Octavam hujus Feſtivitatis dici non poſſunt Miſſę Votivæ privatę, neque Defunctorum, atque etiam pręſente corpore, ut bene advertit *Alden*, Miſſæ Defunctorum privatę celebrari non poſſunt. Quod ſi ex gravi cauſa diebus infrà hanc Octavam dicatur Miſſa Votiva Solemnis, eaque habeat Præfationem propriam, debet hæc in ea dici. Si autem non habeat propriam Pręfationem, tunc dicenda eſt *Pręfatio Epiphanię*, ut & hujus *Communicantes*, ſive habeat, ſive non habeat Pręfationem Propriam. Si autem Votiva illa Solemnis ſit Miſſa de Requiem, quę pręſertim coram corpore dici poteſt, tunc *Pręfatio*, & *Communicantes* erit commune, nam in Miſſis quibuſcumque Defunctorum hęc numquam variantur quocumque tempore legantur. Infra Octavam Epiphanię dicitur eadem Miſſa, quę in Feſto, & poſt Orationem diei, dicuntur Orationes: *Deus, qui ſalutis &c.* & *Eccleſię*, vel *pro Papa*, niſi occurrat Feſtum ſimplex, tunc enim tertia eſt: *Deus qui ſalutis &c.*

Epiſcopi Vicarii ſunt Apoſtolorum *Ord. Rom. ex Conc. Nicen.* Eorum Veſtes ſunt coloris violacei, & Crucem parvam pectoralem geſtant a collo pendentem, quam *S. Gregor. Papa*, *Philacteria* vocat, ideoque, ut notat *Innoc. III.* Miſſam celebraturi, non ducunt Stolam ante pectus in modum Crucis, quia Crucem prędictam ejus lo-

loco ante pectus geſtant, quam ante Stolam accipiunt. De ſingulis autem Sacris indumentis, quæ Epiſcoporum ſunt ſpecialia ſermonem habebimus prout in ordine Alphabetico occurrunt.

Epiſcopi, ut notat *Gavantus*, non habent facultatem deputandi Oratoria, in quibus celebrentur Miſſę in quacumque Domo privata; Soli enim Summo Pontifici competit hęc áuctoritas. Non tamen intelligitur Domus privata Palatium Epiſcopi, in eo enim deputari poteſt ab Epiſcopo Cappella pro Miſſa celebranda. Non licet autem eidem Epiſcopo erigere Altare extrà Domum proprię habitationis, in Domibus laicis, ut ibi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebret, vel celebrari faciat, *ex Decr. Clem. XI.* 15. *Dec.* 1703. Quod tamen Decretum ex conſtitutione *Innoc. XIII.* quam confirmavit poſtea *Benedictus XIII.* 17. *Sept.* 1724. moderatum fuit; In ea enim conſtitutione declaratur, quod hujuſmodi prohibitio intelligenda non eſt de Domibus etiam laicis, in quibus dicti Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiuntur, ut nec etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali ſedis Apoſtolicæ licentia abſentes a Domo proprię ordinariæ habitationis, moram idcircò faciunt in aliena Domo per modum ſimilis habitationis: in his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prędictę Celebrationis, non ſecus ac in Domo proprię ordinarię habitationis.

Epiſcopus, qui nominandus eſt in Canone, debet eſſe Ordinarius loci illius, in quo Miſſa celebratur, ut expreſsè ait Rubrica. Quod ſi Epiſco-

ſcopus loci ſit vita functus, ea verba *Et Antiſtite noſtro* omittuntur; *Lohner*, *&* *Gervaſi*. Quę eadem verba omittuntur etiam a Sacerdotibus Romę celebrantibus; quia Pontifex eſt Ordinarius Epiſcopus Urbis, & Orbis, *Quarti part. 2. tit. 8.* Regulares pro Epiſcopo Diœceſano nominare non poſſunt ſuos Generales, *ex Decr. S. R. C. 12. Nov. 1615.* Nec Clero Sęculari nominare fas eſt ſuum Superiorem, etiam in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, quę ſit Epiſcopali inferior, *Polaccus*, *a Portu &c.*

* Hinc ſequitur, quod ſi Celebrans abſit a Dięceſi ſui Epiſcopi, non debeat nominare ſuum Epiſcopum, ſed Antiſtitem loci, in quo celebrat, *Bauldry*, *Tonellius*, *&* *Gervaſi*; Quia cum Celebrans offerat nomine totius Populi, qui adeſt, aut adeſſe poteſt, mentiretur ſi pro nominando Epiſcopo illius loci ſub illis verbis, *&* *Antiſtite noſtro N.* nominaret ſuum Prelatum, qui verè non eſt aſtantium Epiſcopus, *Tonellius*, *&* *Quarti*.

* Si Celebrans ſit Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, omiſſis prædictis verbis, dicit eorum loco: *Et me indigno ſervo tuo*. Sed hic notandum *cum Tonell.* *&* *a Portu*, quod non ſolum Epiſcopi, ſed etiam Cardinales propter Dignitatis eminentiam, ubicumque celebrent orant pro ſe ipſis, non pro loci Epiſcopo, in quo celebrant. Sicut igitur Epiſcopi non orant pro aliis Epiſcopis, quia non ſunt ipſis Superiores, ita nec Romanus Pontifex, quia non habet Superiorem in terris, orat, niſi pro ſe. *a Portu.*

Epiſtola, ſonat *Supermiſſionem*, ſeu *Supererogationem*, quia literæ, quę mittuntur, habent aliquid ſu-

ſupra id, quod viva voce nuntius refert: Ideoque Epiſtolę vocantur. *Gavant. part.* 1. *tit.* 10. Ritum legendi in Miſſa Epiſtolam, ſeu Lectionem aliquam Sacræ Scripturæ ab Apoſtolis derivaſſę certiſſimum eſt, ut aſſerit *Card. Bona*, atque alii. Ratio autem cur in Miſſa legatur Epiſtola ante Sacrificium eſt quia hoc Sacrificium eſt Myſterium Fidei, ut dicitur in forma Conſęcrationis Calicis: & ideo conveniens fuit, ut pręcederet inſtructio Fidei per Lectionem Prophetarum, & Apoſtolorum.

Epiſtolas autem, & Lectiones ex Prophetis, & Apoſtolis collegit *S. Hieronym.* & ordinavit per totum Anni curriculum in Libro qui dicitur *Lectionarius*, vel *Comes S. Hieron.* Damaſo approbante, *ex Radulph. prop.* 23. eo fine, ut per Lectionem pręparemur ad Myſteria. In Lectionibus Veteris Teſtamenti initium eſſe ſolet, *In diebus illis*, finis autem, *ait Dominus Omnipotens*, quia in libris illis hęc ſæpe ſunt in uſu. In Epiſtolis verò Pauli eadem de cauſa fit initium ab ea voce *Fratres*, & finis eſt, *In Chriſto Jeſu Domino Noſtro*. In aliis item Apoſtolicis Epiſtolis ob eamdem cauſam utimur initio voce illa *Chariſſimi*, uſitata a Petro, & Joanne in ſuis Epiſtolis; *Durand. lib.* 4. *cap.* 16.

In Miſſa Solemni cantatur Epiſtola a Subdiacono. Quo verò tempore cęperint Subdiaconi legere Epiſtolam dubium eſt. Certum tamen videtur Subdiaconos jam a Gregorii Magni temporibus in Eccleſia Romana Epiſtolam recitaſſe: quippe Gregorius ipſe in Concilio Romano decrevit, ut Diaconus Evangelicę Lectionis officium inter Miſſarum Solemnia exſolveret; Pſalmos verò, ac

cęteras Lectiones Subdiaconi recitarent. Videatur *Epiſt.* 44. *libri* 4. *veteris editionis*.

* Huc ſpectat ſequens Decretum, nimirum = Quod deficiente Subdiacono pro Miſsa Solemni, data neceſſitate, poteſt permitti per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam paratus abſque Manipulo. *S. R. C.* 6. *Jul.* 1698.

* Quo autem Ritu, & in qua Altaris parte legenda ſit Epiſtola *V. Miſſa Solemnis*.

Et cum Spiritu tuo olim a Populo toto reſpondebatur, cum Sacerdos dicebat *Dominusvobiſcum*, teſte *Chryſoſtomo hom.* 36. *in Epiſt. prim. ad Cor.* & *Microlog. cap.* 2. Nunc Miniſter reſpondet pro Populo. Eſt autem ſumptum a S. Paulo 2. *Timot. ultimo*. Neque dicitur *tecum*, quia ſpiritualiter Officia Eccleſiaſtica fiunt, *ex Petro Damian. de Dominus vobiſcum cap.* 3. ut nimirum unus ſit affectus Sacerdotis, & Populi; *Amalar. lib.* 2. *cap.* 9.

Evangelium vox Gręca eſt, quę latinè ſonat *Bonum nuncium*; *Iſidor. lib.* 1. *cap.* 11. Accipitur hìc pro textu Hiſtorię Evangelicę, qui in Miſſa legitur. Hunc autem morem legendi Evangelium in Miſſa antiquiſſimum eſſe, ab Apoſtolis derivatum, nemo eſt, qui in dubium revocet, cum omnes SS. Patres hanc veritatem conteſtentur; quorum auctoritates congerit *Card. Bona lib.* 2. *cap.* 7. nec non *Joſeph Catalanus* in ſuo recenti, & erudito opere *de Codice S. Evangelii lib.* 2. *cap.* 1. Evangelium, quod in Miſſa privata legitur a Sacerdote celebrante, in Miſſa Solemni antiquitus legebatur ab aliquo ex Lectoribus, ad quos ſpectabat Divinę Scripturæ

Le-

Lectiones in Eccleſia recitare, ut tradit *S. Cyprian. Epiſt.* 34. In Hiſpania verò id quandoque Subdiaconos prȩſtitiſſe, conſtat ex Conc. 1. Toletano *Can.* 4. Certum nihilominus eſt, prȩſentem Ritum recitandi Evangelium a Diacono in Miſſa Solemni, antiquiſſimis etiam temporibus in Eccleſia tam Grȩca, quam Latina viguiſſe: Id enim ſtatutum legimus *Lib.* 1. *conſt. Apoſt. cap.* 57. Notandum autem, quod olim Diaconus in Ambone Evangelium legebat, erantque in Eccleſia pro Viris, & Mulieribus loca diſtincta. Diaconus vertebat ſe verſus meridiem, ad partem ſcilicet Virorum; at nunc vertitur ad aquilonem: cujus mutationis cauſam, & originem ex Miſſis privatis proceſſiſſe, in quibus Sacerdos non in Ambone, ſeu Pulpito, ſed in Altari verſus Septemtrionem legit Evangelium, tradit *Microlog. lib.* 1. *cap.* 9. Hujuſmodi Ritus decantandi a Diacono Evangelium in Pulpito viget adhuc in nonnullis Eccleſiis; Sed, ſi hoc fiat, parari debet Pulpitum ipſum pannis prȩtioſis coloris Miſſæ convenientis, *Cȩrem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12. & *Bauldry part.* 3. *art.* 5. *n.* 22.

In Miſſis privatis legitur Evangelium ſequenti Ritu: Dum ſcilicet, Miniſter defert Miſſale a parte Epiſtolæ, ad dexteram Altaris partem, (nam dextera hæc pars, quæ eſt nobilior tribuenda eſt Evangelio, & minus nobilis, quæ eſt ſiniſtra Epiſtolȩ, *a Portu*) Celebrans procecedit a parte Epiſtolȩ, ad medium Altaris junctis manibus ante pectus; ibiquȩ hoc modo ſtans, elevatiſque ad Deum oculis, ideſt ad Crucifixi Imaginem, & ſtatim demiſſis, tum

profundè inclinatus, dicit ſecretò *Munda cor meum &c.* & manus non ſuper Altare ponit, ſed junctas conſervet ſemper inter pectus, & Altare, ut Auctores communiter tradunt. Dicto autem *Munda cor meum*; *Jube Domine* (non Domne ob rationem allatam ad verbam *Domnus*,) & *Dominus ſit in corde meo &c.* abſque facta Cruci alia reverentia, vadit ad Librum Miſſalis; ubi ſtans verſus illum manibus junctis ante pectus, facie converſa ante cornu Altaris, ideoque verſus Librum, (qui ita obliquus locari debet, ut poſterior pars Libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſive ad partem ejus contra ſe directam) corpore, & capite erecto, non autem brachiis incumbentibus Altari, dicit voce intelligibili (non disjungens manus) *Dominus vobiſcum*; ut Populus attentior fiat ad ipſum Dominum loquentem in ſuo Evangelio; *Quarti parti* 1. *tit.* 10. *num.* 6. & reſpondetur a Miniſtro voce pariter intelligibili *Et cum ſpiritu tuo*. Tunc Celebrans disjungit manus, ponendo ſiniſtram ſuper Librum, ut notat *Gavant.*; deinde pulpa pollicis dexterę manus, non autem ungue, vel indice, neque pollice, & indice ſimul, ſignat Cruce Librum ſuper principio Evangelii, quod erit legendum; dum autem format hoc ſignum Crucis, dexteram manum totaliter extendit, cujus palmam ad Librum convertit; tenendo quatuor reliquos digitos ſimul junctos. Crux autem, quę pollice formatur parva eſſe debet; *Bauldry*, *Lobner*, *&* *alii*. Formata hujuſmodi parva Cruce ſuper Librum, Sacerdos poſtea eodem pollice ſignat ſeipſum in fronte, ore,

&

& pectore ; ponendo ſiniſtram manum infra ipſum pectus , & extendendo totaliter dexteram junctis aliis digitis , palmamque ipſius dexteræ ad ſe convertendo , *Bonamic.* & *Bauld.* format autem non unum , ſed triplex Crucis ſignum , primum in fronte , ſecundum in ore , tertium in pectore dicens *Sequentia* , vel *Initium Sancti Ev.* &c. & Miniſter reſpondet clara voce *Gloria tibi Domine* . Tum Sacerdos jungit iterum manus ante pectus ſtans , ut ſuprà , (ſicut etiam Miniſter , & circumſtantes ſtare debent Evangelium audituri , ut promptiores ſe oſtendant ad credendum , & obediendum Evangelio) & proſequitur Lectionem Evangelii uſque ad finem ; quod certè majori pauſa , & diſtinctione , quam alia , quę dicuntur clara voce pronuntiandum eſt , *Quarti part.* 2. Cum verò durante Lectione Evangelii genuflectendum , vel inclinandum fuerit caput , etiam ad nomen *Jeſus* , id numquam fiat verſus Crucem , vel SS. Sacramentum , ſed verſus Librum , quia (ut ait *Quarti part.* 2. *tit.* 8. *rubr.* 2. *n.* 6.) in Evangelio expreſſius repreſentatur Chriſtus Dominus , quàm in Cruce , utpote quod eſt verbum ipſius Divini Incarnati Verbi . Advertat autem Sacerdos , ne dum legit Evangelium brachiis , ſeu manibus innitatur Altari , aut Libro . *Vinitor* , & *Biſſus lit. S. n.* 20. §. 30.

† Finito Evangelio Miniſter ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum gradum Altaris in plano , reſpondet , *Laus tibi Chriſte* ; & Sacerdos elevans parumper Librum ſine cuſſino , & aliquantulum inclinans , oſculatur principium Evangelii a ſe dicti , (præterquam in Miſſis Defunctorum) &

ſi opus eſt, invertat manu dextera paginam. depoſita ſiniſtra ſuper Altare, ut habeat principium Evangelii, quod lectum eſt, & quod oſculari debet, *a Portu*, dicens ſubmiſſa voce, *Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta*; quam Oratiunculam, ſive totam proferat immediatè ante deoſculationem, ſive tantum primam ejus partem, ideſt *Per Evangelica dicta* ante deoſculationem, & deoſculato Libro, *deleantur noſtra delicta*; ſive denique illam totam dicat immediatè oſculato principio Evangelii, Rubricę ſatisfacere videtur; ſecundus tamen Ritus exactior eſt, ut etiam obſervat *Nicol. de Bralion in Cęrem. Canon. part. 2. cap. 5. n. 11.* Quod ſi Sacerdos celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apoſtolicę, vel Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo in ſuis reſidentiis, defertur cuilibet prędictorum oſculandus Liber; & Celebrans tunc non oſculatur illum, nec dicit per Evangelica dicta, *Rubr.* Si verò plures Pręlati æquales intereſſent Miſſę, nulli dabitur oſculandus, nec etiam Celebranti. Si plures inæquales, tunc digniori tantum: *Cęrem. Epiſc. lib. 1. cap.* 30. Tolerari poteſt illa conſuetudo, qua defertur Liber Prælato, continuante Celebrante Symbolum; quia antiquitus, dum Symbolum cantabatur, dabatur Evangelium oſculandum toti Populo *Gemma lib. 1. cap.* 119. non autem placet altera, qua Pręlatus oſculatur Librum dicto Offertorio, quando non dicitur *Credo*: abuſus eſt ad brevitatem Miſſę introductus. Et Miniſter quidem defert Librum ſine ulla reverentia ad Pręlatum; ſed poſtquam ille fuerit oſculatus, Libro ſtatim

clau-

clauſo, reverentiam illi debitam faciet. Ille verò tantum, qui Librum oſculatur dicere debet, *Per Evangelica dicta* &c. ſunt enim verba oſculantis propria, quę ideò omiſſo oſculo omittuntur, ut in Miſſa Defunctorum hoc loco preſcribitur. Ex Decretis Congr. Cardin. ſuper negotia Epiſcoporum 22. & 28. *Aug.* 1589. non defertur Liber oſculandus Vicario Apoſtolico: neque Commendatario, ſeu ejuſdem Procuratori, *ex Decr. S. R. C.* 17. *Sept.* 1611. neque aliis in ſuperiori Rubrica non nominatis, ſine facultate Sedis Apoſtolicę. Principibus autem Magnis ex tolerantia, non autem inferioribus Laicis; ex alio enim Decreto prędictę Congr. Card. ſub *die* 28. *Aug.* ejuſdem anni, Evangelium non traditur oſculandum, niſi Epiſcopis, Prelatis majoribus, & Principibus Magnis, non autem Gubernatoribus, & aliis Miniſtris. In aliquibus tamen Eccleſiis, & preſertim Pariſiis, ut aſſerit *Le Brun tom.* 1. *p.* 251. viget conſuetudo, quod Subdiaconus in Miſſa Solemni deferat Librum Evangelii oſculandum toti Clero, prçcedente Thuriferario, a quo Clerus pariter Thurificatur; & Subdiaconus cuicumque oſculanti dicit: *Hęc ſunt verba Sancta*; & quilibet oſculans Librum, reſpondet: *Credo, et Confiteor.*

Evangelium S. Joannis, *In principio &c.* ſemper dicitur in fine Miſſarum omnium Votivarum tam Privatarum, quam Solemnium. In aliis autem Miſſis idem legitur Evangelium in fine, niſi aliud vel Vigiliæ, vel Dominicę ſit legendum juxta diſpoſitionem Rubricarum Miſſalis. S. Pius V. in ſua reformati Miſſalis editione, dictum S. Joannis Evangelium regulariter legendum eſſe præ-

prę́ſcripſit ad jugem recordationem Incarnationis Verbi Divini, de quo fuſim *Suarez diſp.* 83. *ſect.* 1. antea verò ſine certa lege ex ſola conſuetudine a quibuſdam dici, ab aliis verò omitti pro cujuſcumque arbitrio ſolebat; ut *Paris Craſſus in Cęrem. Summi Pont. inedito cap.* 65. teſtatur, referente *Card. Bona lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 5. Quo autem Ritu cantari debeat Evangelium in Miſſa Solemni, *V. Miſſa Solemnis.*

Euchariſtia. *Vide Communio.*

Expoſitio SS. Sacramenti pro Oratione quadraginta Horarum, ſive qualibet alia de cauſa, eo Ritu facienda eſt, qui in Inſtructione prę́ſcribitur Clementis XII. a *Merato part.* 2. *tit.* 14. relata, quę incipit Italico ſermone; *Eſſendo ſtate fatte &c.* Sed prę́ter ea, quę traduntur in ſupradicta Inſtructione, huc ſpectat aliqua pauca adnotare, quę ſervanda ſunt in Miſſa Solemni, quæ cantatur ante expoſitionem SS. Sacramenti. Igitur in hac Miſſa duę Hoſtię magnę conſecrabuntur a Celebrante, quarum una tantum elevatur, ut moris eſt, & altera relinqui debet ſuper Corporale a parte ſiniſtra Celebrantis. Poſt ſumptionem prę́tioſi Sanguinis deferri debet Oſtenſorium parvo velo coopertum a Cęremoniario, vel Subdiacono per gradus laterales Epiſtolæ, facta debita genuflexione in receſſu, & acceſſu. Prę́fatum Oſtenſorium ad Altarę delatum deponendum eſt in cornu Epiſtolę propè Corporale, amoto velo, quo erat coopertum. Deinde facta iterum genuflexione, accedet Subdiaconus ad Librum, ubi iterum genuflectet, cedens in tranſitu gradum ſuperiorem Diacono, qui tum accedens ad dexteram

Ce-

Celebrantis, genufleᶜtit pariter in receſſu, & acceſſu; moxque aperit Tabernaculum geſtatorium, ſeu Oſtenſorium, & Calice palla cooperto, ac paululum remoto verſus latus Evangelii, ponit ipſum Oſtenſorium ſuper dictum Corporale; ſtatimque Celebrans, facta cum Sacris Miniſtris genuflexione, adaptat propria manu dextera Sacram Hoſtiam in lunula, quę eſt in medio prędicti Oſtenſorii, adjuvante eodem Diacono, qui illud ſtatim claudit, & in medio Corporalis poſtea collocat reverenter: Deinde tam Celebrans, quam Miniſtri genufleᶜtunt. Quibus peractis, ſi opus ſit, Celebrans Communionem dat iis, qui ſunt communicandi cum ſolitis, & debitis reverentiis; ſed pręſtat, ut in hac Miſſa non fiat Communio; qua tamen finita, ſi facienda ſit, Celebrans ſumet purificationem, & ablutionem, & Miſſam proſequetur more ſolito, diligenter obſervans, quę in Miſſa Solemni celebrata coram SS. Sacramento, pro repoſitione SS. Sacramenti in fine Orationis Quadraginta Horarum: de qua, ut Ritum habeas *V. Miſſa Solemnis coram SS. Sacramento*. Et ſi facienda ſit Proceſſio cum SS. Sacramento. *V. Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti*.

F E

FEria eſt nomen ſacrum, non ex Ritu Gentium, ſed ex Sacra Scriptura deſumptum, *ex Durand.*, quo ſinguli diſtinguuntur hebdomadę dies ex antiquiſſimo Eccleſię uſu, quem S. Silveſter Papa ſuo Decreto firmavit. Miſſa de Feria dicitur quando non occurrit Feſtum, vel Octava, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. M. In Feriis tamen Quadrageſimę, Quatuor Tempo-

porum , Rogationum , & Vigiliarum , etiamſi Duplex , vel Semiduplex Feſtum , vel Octava occurrat , in Eccleſiis Cathedralibus , & Collegiatis cantantur duæ Miſſę , una de Feſto poſt Tertiam , & alia de Feria poſt Nonam . Sed *V. Octava*, aut *Vigilia*.

Feria quinta in Cęna Domini Feſtivum habet Officium in Miſſa ob inſtitutionem Sacramenti Sacramentorum *Gavant.* Ideoque Altare majus hac die parari debet ſolemniter prętioſioribus paramentis albis ; ſed ſupra pallium prętioſum albi coloris , ponatur aliud leve antipendium violalacei coloris facilè amovibile ſtatim poſtquam recitatę fuerint in Choro horę minores . Cętera verò Altaria minora remanere poſſunt cum ſuis paramentis violaceis . Crux quoque Altaris majoris tantum , *ex Gavant. Bauldry* , & *Biſſo*, velo albo tegi debet . Ut tamen pręſcribit *Memoriale Rituum ad uſum Ecc. Benev. &c.* ſuper tale velum album ponendum eſt velum violaceum facile amovendum finita Nona : Et tunc, & non prius amovendum eſt etiam pallium violaceum Altaris , remanente pallio albo prætioſo . Deinde cantatur Miſſa Solemniſſimè in paramentis albis a Superiore loci , ſi fieri poteſt, *Bauldry*. Ad Confeſſionem omittitur Pſalm. *Judica me &c.*, item ℣ *Gloria Patri &c.* tam ad Introitum , quam ad finem Pſal. *Lavabo* . Dicitur in hac Miſſa Hymnus *Gloria in exc.* & tunc pulſantur Campanæ omnes minores , majores , & organa ubi ſunt, & deinceps ſilent uſque ad Sabbatum Sanctum , dum idem *Gloria in excelſis* inchoabitur ; & interim in hoc triduo , & ad Divina Officia , & quando opus eſt loco Campanarum de-

deſerviet inſtrumentum ligneum , *Crotalum* dictum , quod non pulſatur ad Elevationem SS. Sacramenti , neque ad Proceſſionem, ut docent *Tonellius*, *Hippolytus a Portu*, & *Bauldry* : ſed tamen ſecundum conſuetudinem pulſatur , ad Salutationem Angelicam , & ad convocandum Populum ad Eccleſiam . Graduale hujus diei ita lentè cantatur , ut Celebrans dum cantatur commodè Evangelium legere poſſit , benedicere Incenſum , & Diaconum ; ne nimis feſtinanter abſoluto Graduali, ſilentium inter ipſum Graduale, & Evangelium interponatur; ad quod Cantores advertere debent , *Bauldry* , & *Biſſus* .

Dicto *Sanctus* , vel incępto Canone , quatuor , ſex , vel ad ſummum octo Miniſtri Cottis induti afferunt totidem funalia ceræ albæ accenſa ; & factis debitis reverentiis , collocant ſe genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi tenentis Patenam , vel ſi magis congruit ad latera Altaris *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. ibique remanent genuflexi donec fiat Proceſſio, & dum Communionem ſunt accepturi , alios ſibi ſubſtituunt , qui ſuſtineant dicta funalia ; & deinde poſt Communionem eadem recipiunt, *Bauldy* , *Biſſus* , & *Vinitor* . Pręfatio de Cruce , *Communicantes* , *Hanc igitur* , & *Qui pridie &c.* erunt prout in Miſſali , omnia ſingularia hujus diei , ac ſummo ſtudio obſervanda , *Caſtald.* *Agnus Dei* dicitur more ſolito , ac pariter Orationes conſuetę ante Communionem , non tamen datur pax, in deteſtationem oſculi Judę , *Alcuin* .

Hodie Celebrans conſecrat duas magnas Hoſtias, quarum unam ſumit de more cum toto pręțioſo

San-

Sanguine, & alteram reſervat pro die ſequenti, in quo non dicitur Miſſa; reſervat etiam quaſdam Particulas pro infirmis, & alias conſecrat pro Communione generali hac die facienda. Itaque ad oblationem duæ Hoſtię ſuper Patenam poſitę offeruntur, atque etiam Particulę in Pyxide, vel alio Calice in numero ſufficienti; & ideò paulo ante oblationem Pyxis prędicta affertur ad Altare per Subdiaconum, aut alium ante Calicem Miſſæ, eamque Diaconus collocat prope Crucem Altaris; & antequam Patenam tradat Celebranti, aperit Pyxidem, eamque parum elevatam ſuſtinet dum Celebrans offert Hoſtiam; & Patena depoſita, ipſe Diaconus Pyxidem tegit, & reponit in loco ſuo, ita tamen ut ſemper ſit ſuper Altare portatile, ſeu Lapidem conſecratum poſt Calicem; *Bauldry de Miſſ. Solemn. art.* 7. Dicto *Agnus Dei*, Miniſtri Sacri ſtatim mutant loca, quia non datur pax; Diaconus enim accedit ad Librum cum debitis genuflexionibus in acceſſu, & receſſu: Subdiaconus verò cum genuflexionibus ſolitis ad dexteram Celebrantis pro cooperiendo, & diſcooperiendo Calice quando opus eſt. Sumpto prętioſo Sanguine a Celebrante, Subdiaconus ſtatim tegit palla Calicem, eumque collocat verſus cornu Evangelii, ſed ſuper Corporale, *Bauldry*, *Biſſus*, *& Vinitor*, non extra ipſum propter ſpecies vini conſecrati adhuc in ejus fundo relictas, *Bauldry part.* 3. *cap.* 11. *art.* 10. deinde idem Subdiaconus, ſeu *ex Cęrem. Epiſ. lib.* 2. *cap.* 23. Cęremoniarius, vel alius Cappellanus, Calicem vacuum ex Credentia ad Altare defert cum Patena, palla, ac velo parvo al-

albi coloris coopertum, quem Diaconus accipit, diſcooperit, & ab eo Pallam, & Patenam auſert; quo facto Celebrans cum Diacono genuflectit unico genu, ſicut & Subdiaconus in cornu Evangelii, ac ſtatim ſurgunt, & tunc Celebrans alteram Hoſtiam conſecratam pro die ſequenti reſervandam, reponit reverenter dexterà manu in Calice, *ut ſupra* delato, quem Diaconus ante ipſum Celebrantem apertum ſuſtinet. Advertat autem Celebrans, quod ita immittat ſupradictam Hoſtiam in Calice, ut facilè, & commodè ſequenti die illam poſſit extrahere ſine ullo manuum contactu, *Bauldry*; Tum iterum genuflectit cum Miniſtris Sacris, & aliquantulum verſus latus Evangelii recedit; & Diaconus accedens omninò in medium, facit genuflexionem, & Calicem prædictum in medio Corporalis jam depoſitum, palla prius, tum Patena inverſa, *ex Bauldry*, denique parvo velo albo cooperit. Palla prius quia hęc ſignificat Lapidem ad Oſtium Monumenti; Patenà deinde ad tutelam Pallę, & quaſi ſigillum indicat Phariſeorum, de quo *Matth*. 27. *ſignantes Lapidem cum Cuſtodibus*. Hunc ergo Calicem undequaque coopertum Diaconus in medio prope Secretarum Tebellam collocat, ita ut relinquatur in medio locus ponendi commodè Pyxidem cum Particulis conſecratis ante eumdem Calicem ſuper Corporale pro Communione generali facienda: Qua poſita eam diſcooperit cum genuflexione ante, & poſt; Et dum hæc fiunt a Diacono, Celebrans, & Subdiaconus tunc genuflectunt ad Altare in cornu Evangelii, & interea a Choro cantatur *Communio: Bauldry*, *&* *Biſſus*.

Cum

Cum autem hac die non ſolum Populus, ſed etiam Sacerdotes, ſive Dignitates, ſive Canonici, cum non poſſint celebrare, debeant Communionem accipere de manu Celebrantis, juxta morem univerſalis Eccleſię, in memoriam quod Chriſtus Dominus hac die manu propria Apoſtolos communicavit; ut docet *Gavant.* & juxta Decretum *S. R. C.* 27. *Sept.* 1608. ideo cantato *Agnus Dei* communicandi vocati per Cęremoniarium accedunt ad Altare, primò quidem Sacerdotes cum Stolis albis ſuper Cottam a collo pendentibus cum debitis genuflexionibus, & genuflexi ibi manent, donec tempus erit ſumendi Communionem, ut colligitur *ex Cęrem. Epiſ. lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. Diaconus verò aperta Pyxide, ut diximus, & genuflexione facta, deſcendit in planum per gradus laterales a cornu Epiſtolæ: Et Celebrans interim redit ad medium Altaris, ibique facta cum Subdiacono genuflexione unico genu, retrahet ſe aliquantulum ad cornu Evangelii, facie verſa ad cornu Epiſtolæ, Subdiacono ibi poſt ipſum ſtante *ex Cęrem. Epiſc. ſupra*. Et tunc, & non prius Diaconus in plano Epiſtolę profundè inclinatus verſus Celebrantem, manibus junctis, dicit alta voce *Confiteor &c.* iu cantu, & tono, qui notatur in fine *Cęrem. Ep.* pręſertim in majoribus Eccleſiis; qua Confeſſione cantata, Celebrans adhuc ſtans in cornu Evangelii dat de more communicaturis abſolutionem, dicens voce intelligibili, *Miſereatur veſtri &c.* faciens ſupra Populum ſignum Crucis, ut mos eſt, cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet, *Amen*. idemque Diaconus facta genuflexione poſt datam abſolutionem, aſcendit ſuper

ſe-

ſecundum Altaris gradum a parte Epiſtolę, ubi genuflexus ſuper ſuppedaneum expectat Communionem; Subdiaconus pariter, qui ſtabat poſt Celebrantem in cornu Evangelii, facta ibidem genuflexione, deſcendit ad ſecundum gradum, & ſtatim genuflectit ſuper ſuppedaneum a ſiniſtris Diaconi, ibique Sacram Communionem expectat. Interim cum debitis reverentiis accedunt duo Acolyti Cottis induti, cum tobalea, ſeu mappa munda, quam extendunt, & hinc inde genuflexi, a lateribus quaſi jacentem ſubſtinent, ante Celebrantem ambabus manibus per quatuor angulos, donec peracta ſit Communio. Qui autem Communionem ſunt ſumpturi, convenienter ſinguli accedere debent cum debitis reverentiis, & Communione ſumpta, per ſiniſtrum latus Celebrantis, ſeu per latus Epiſtolę ſemper diſcedere debent, ibique prope Credentiam purificationem accipere de manu Sacriſtę, vel Acolyti miniſtrantis Calicem cum vino, & mappula ad tergendum appenſa, *Cęrem. Epiſ. ſupra*.

* Celebrans igitur data abſolutione Communicaturis, ſe convertit ad medium Altaris verſus Sacramentum, ibique genuflectit unico genu, deinde accipit Pyxidem, & converſus ad communicandos, dicit clara, & integra voce: *Ecce Agnus Dei &c.* ea omnia ſervando, quæ diximus de Communione adminiſtranda in Miſſa privata. Tum communicat primò Diaconum, & Subdiaconum paratos, deinde Sacerdotes cum Stolis, *ut ſupra*, & alios ſecundum ordinem Dignitatis; Magiſtratus, & Nobiles etiam ad Altare, ſi ſit conſuetudo; deinde alios Laicos

utriuſque ſexus ad Cancellos ad id paratos *Bauldry ſupra*. Diaconus autem, & Subdiaconus poſt ſumptam Communionem deſcendunt gradus Altaris, & faciunt genuflexionem Sacramento, & pergunt ad Credentiam, ubi ſe purificant ex Calice ad id preparato, & cum manutergio ibidem poſito os tergunt. Iterumque accedunt ad Altare per planum, ubi faciunt genuflexionem Sacramento unico genu; tum aſcendunt gradus Altaris, Diaconus quidem in cornu Epiſtole pro miniſtranda purificatione, *Biſſus lit. M. n.* 150. cum aliquo Calice illis qui communicaverunt, loquendo tamen de Clericis, qui Clerici Calicem nuda manu non debent tangere, ſed mappa cooperta, *Bralion*: Imo melius purificant ſe ex alio vaſe, in quo ſit vinum aqua mixtum, vel, *juxtà Cerem. Epiſc.*, ſolum vinum, ſicut etiam docet *de Bralion*. Præterea magis decet, ut etiam Clericis hujuſmodi purificatio miniſtretur ab aliquo Acolyto, & etiam poſſunt Clerici purificationem ſibi ſumere in cornu Epiſtole ad Credentiam; & tunc accepta Communione recedunt cum debita genuflexione per latus Epiſtole ad eamdem Credentiam, ut ibi purificationem accipiant. Sive autem ab aliquo Acolyto purificatio miniſtretur, ſive ſibi ipſam Clerici ſumant ad Credentiam, Diaconus ſtabit ad dexteram Celebrantis manibus junctis, & Subdiaconus ad ſiniſtram pariter manibus junctis, vel etiam Diaconus Patenam ſub mento communicandorum tenere poterit; experientia enim neceſſitatem hujuſmodi Ritus evidenter probat, *Bauldry*. Sed in hoc recepta loci conſuetudo eſt attendenda. *Meratus part. 2. tit.* 10.
Si qui Prelati inferiores Epiſcopo, Sacerdotali tamen

men caractere inſigniti ſint communicandi, accedunt poſt Miniſtros Sacros cum habitu tamen Chorali, & Stola de collo pendente, ita *ex Conc. Bracar.* advertit *Gavant.*

Quod ſi Prelati inſignes ſint communicaturi hac die, vel in Miſſa quacumque Solemni; communicent ante Miniſtros Sacros: & ſi eſſet Cardinalis S. R. E. ſive Diaconus, ſive Presbyter, (vel etiam Epiſcopus conſecratus) qui hac die, vel rationabili de cauſa propter infirmam valetudinem in Miſſa Solemni quovis tempore ſit communicandus, hoc modo ad Communionem procedit; videlicet: precedunt Mazzerius, & Ceremoniarius, ſequitur Cardinalis, & poſtea Digniores de Choro in ſuo habitu Chorali bini ſimul procedentes, ultimò ſequitur ex ſua familia dignior. Cardinalis verò ob reverentiam Sacramenti caudam ſibi teneat; *Biſſus lit. P. n.* 184. *Bauldry ſupra*. Cum autem ad Altare pervenerit, adorat Sacramentum genuflexus ſuper pulvino, ante infimum Altaris gradum. Tum aſcendet ad Celebrantem ſtantem verſus eum, a quo etiam ipſe ſtans, medius inter duos prædictos Digniores mantile ante pectus ejus ſuſtinentes, non premiſſa a Miniſtro Confeſſione, nec data a Celebrante Abſolutione, nec dicto *Ecce Agnus Dei*, nec *Domine non ſum dignus*; Communionem accipiet, non oſculando manum ipſius Celebrantis, ſed tantum faciem poſt Communionem, ſi Celebrans Prælatus ſit, alias nec manum, nec faciem oſculatur; *Bauldry*. Qui verò Cardinalem, vel Epiſcopum comitati fuerunt, non genuflectunt; nam *Cerem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 29. vult genuflecti eos ſolum, qui ſunt Commu-

nicaturi, ceteros verò ſtare. *Bauldry* tamen aſſerit quòd omnes, qui Cardinalem ſequuti ſunt, genuflexi manere debent ob reverentiam SS. Sacramenti, ſuam tamen ſententiam aliorum judicio ſubmittit. Poſtquam Celebrans Cardinalem, vel Epiſcopum communicaverit, Dignior ille, qui Cardinalem comitatus eſt, ſtans ad ſiniſtram Celebrantis, accipit aliquem Calicem, (non illum quo utitur Celebrans) a Presbytero aſſiſtente, ſi adſit, vel eo deficiente a Diacono, & habens in ſiniſtra ampullam cum vino puro, de eo ponit in Calicem [facta prius prægustatione ab aliquo ex familiaribus Cardinalis in alio vaſe], quem Calicem ſimul cum vino Cardinali offert, qui os ſuum cum illo purificat; mox alius offerat manutergium mundum, ſeu Purificatorium (eum prius oſculando) ad tergendum os. Deinde ſurgit Cardinalis, cui Celebrans ſe profundè inclinat, & Cardinalis mediocri inclinatione reſpondet, & ad ſuum locum revertitur ordine, quo venerat; *Biſſus*, *& Bauldry ſupra*.

* Facta autem Communione Clericorum, Celebrans deſcendit ad Cancellos, ubi laicos communicat, ante quos Acolyti extendunt linteum, niſi jam ſit appoſitum; eiſque Clericus aliquis porrigit purificationem, preſertim ubi viget hęc conſuetudo; *Bauldry ſupra*. Interim dum fit Communio tam Clericorum, quam Laicorum, poſſunt convenienter decantari aliqui Pſalmi, aut Hymni, aut Cantica ſecundum morem locorum, vel Organa pulſari.

* Finita omnium Communione, Celebrans redit ad Altare, tenens digitos, pollicem nempè,

&

& indicem dexterę manus ſuper Pyxidem, nihil dicens; & dum aſcendit, Miniſtri Sacri elevant hinc inde anteriores illius veſtes: & ibi ad Altare collocat Pyxidem ſuper Corporale in medio, genuflectit Sacramento unico genu, ſurgit, & diligenter advertit, ſi aliquod fragmentum digitis adhęreat, quod in Pyxidem excutit. Diaconus facta genuflexione unico genu, cooperit Pyxidem in medio Altaris (cui Diacono ideo locum cedit Celebrans, quia interim manet in cornu Evangelii, Subdiacono poſt illum, & aliis Miniſtris ſuis in locis genuflectentibus) reponit in Tabernaculo, & antequam illud claudat, iterum genuflectit unico genu Sacramento. Quibus expletis Celebrans ſumit purificationem, & ablutionem, non extra gradus Altaris, ſed in loco ſolito, factis tamen debitis genuflexionibus, ut in Miſſa Solemni coram SS. Sacramento, unde *V. Miſſa Solemnis coram SS. Sacr.*

* Hodie pręter Miſſam Solemnem conceſſam his Eccleſiis tantum in quibus aſſervatur SS. Sacramentum (ut patet *ex Decr. S. R. C.* 14. *Jun.* 1659.) omnes alię Miſſę privatę prohibentur in quocumque loco, *ex Decreto edito a Clem. XI. die* 15. *Mart.* 1712. ſi tamen occurrat Feſtum aliquod de præcepto, *V. Annunciatio B. M. V.*

* Hodie parari debet locus in aliqua Cappella Eccleſiæ, vel Altari, (quod diſtinctum eſſe debet ab Altari in quo fuit Celebratum, *Gavant.*) ubi Calix cum Hoſtia, *ut ſupra*, reſervata reponatur. Ex Decreto autem S. R. C. ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium 6. *Aug.* 1591.

ſupradictus locus debet eſſe intra Eccleſiam. Poteſt autem ornari etiam floribus, ſive aliis rebus ad ſplendorem ducentibus, additis multis luminibus, ſive ex cera alba, ſive etiam partim ex oleo juxtà qualitatem, & diſpoſitionem apparatus: & notandum quod in hoc loco non debet poni Sacramentum expoſitum, ut fieri ſolet in Oratione 40. Horarum, ſed poni debet in Capſula (cum Corporali in fundo ejus extenſo) clave obſerata, collocanda in eminenti loco, ad quem aſcendetur per gradus; quę Capſula ſit etiam pulchra, elaborata tam intus, quam extrà: Convenit etiam, ut ſupra eam ſit Baldachinum album, niſi talis eſſet apparatus, variis undique picturis ornatus, ut Baldachinum videatur ſuperfluum. *Biſſus lit. L. num.* 131. Finita Miſſa fit Proceſſio more ſolito. *V. Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti*. Cum autem Subdiaconus cum Cruce (qui non debet eſſe Subdiaconus Miſſæ) & Ceroferarii ad Sacellum pervenerint, ſiſtunt ſe è regione prędicti Sacelli aliquantulum recedentes è medio, ita ut aditus pateat procedentibus, & nullum impedimentum afferant Celebranti, & aliis: Tum Clerus dividatur in duas partes hinc indè, ut Thuriferarii, Miniſtri Sacri, & Celebrans ſub Baldachino commodè tranſire poſſint per medium illorum: Juvenes remaneant propè Crucem; Seniores verò ex ordine procedant ultrà, ita ut proximiores ſint Sacello, ſive Altari, & omnes hinc inde ſtabunt facie ad invicem converſa uſque ad adventum Sacramenti, & tunc omnes ante illum genuflectent utroque genu (exceptis Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis) & ſic ma-

manent genuflexi verſus Sacellum, donec indè recedant; *Vinitor*, *Caſtald. &c.* Poſtquam autem Celebrans ingreſſus fuerit Cappellam, Thuriferarii ceſſant a Thurificatione, & aliquantulum ſe retrahunt, ut Celebranti locum cedant, qui cum Miniſtris Sacris ad ſecundum gradum Altaris aſcendit, & Diaconus ſuper ſuppedaneum, ubi genuflectit quaſi vertens renes ad cornu Epiſtolę, *Bauldry*, & Celebrans ſtans porrigit illi Calicem, quem reverenter accipit, deinde ſurgit, & converſus ad Celebrantem paululùm expectat, donec Celebrans adoraverit SS. Sacramentum, quod ſemper in ſimili caſu facit; deindè ponit devotè Calicem ſuper Corporale in medio Altaris explicatum, cavens ne terga vertat Celebranti genuflexo, & facta genuflexione, ſurgit, & accedit ad dexteram Celebrantis, ubi manet genuflexus, ſicut Celebrans, qui genuflectere debuit cum Subdiacono in inferiori Altaris gradu ſtatim ac Diacono Sacramentum dederit. Dum autem genuflexus eſt Celebrans, per Miniſtros Sacros, vel per Cęremoniarium, ut ait *Horatius Chriſtiani ſect. 3. cap. 8. n. 17.* amovetur ex ejus humeris velum oblongum, quod Diaconus, vel Cęremoniarius tradit alicui Miniſtro non occupato, qui illud ponit in aliquo loco congruo. *Bauldry ſupra.* Poſtea ſurgit Celebrans (ſicut & Miniſtri Sacri ſurgunt, ut ſtatuit in ſua ſpeciali inſtructione Clemens XI. de ordine ſervando in Oratione Quadraginta Horarum) ibiquè pauld retrocedens, *Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 23.* ſtans inponit incenſum in uno ex Thuribulis ſine Benedictione miniſterio Diaconi, ſine oſculis. Tum Celebrans cum Miniſtris Sacris genuflectit i-

iterum ſuper infimum gradum, & ſumpto Thuribulo, ter incenſat Sacramentum ſuo velò tectum, Miniſtris elevantibus partes anteriores Pluvialis, & profundè inclinantibus cum Celebrante ante, & poſt; *Bauldry*, *Biſſus*, *& Vinitor*. Facta incenſatione, & reddito Thuribulo Diacono, qui illud ſtatim reddit Thuriferario, ipſe Diaconus aſcendit ad Altare, genuflectit, & ſtatim ſurgit, tum accipit Calicem, & reponit in Capſula ſuper Corporale in ea prius explicatum; (ſi tamen locus eſſet ita paratus, ut commodè a Diacono non poſſet poni Sacramentum in dicta Capſula, tunc alius Sacerdos cum Cotta, & Stola poterit id præſtare *Meratus*) deindè genuflectit, & Capſulam claudit, & obſerat clavi, quam dabit illi, ad quem ſpectat, nempè Sacriſtę, vel Cęremoniario, *Bauldry*, *Biſſus*, *& alii*. Clauſo Sacramento in Capſula, & Diacono ad dexteram Celebrantis regreſſo, omnes genuflexi (exceptis Cruciferario, & Ceroferariis) aliquantulum orant, *Bauldry &c.* Interim colliguntur cerei, aſportantur, & extinguuntur, *Memoriale Rituum*. Facta autem Oratione ſurgunt Celebrans, & omnes alii: iterum genuflectunt, & ſurgunt, poſtea redeunt in Sacriſtiam, pręcedentibus Thuriferariis, quos ſequitur Subdiaconus deferens Crucem, medius inter Ceroferarios habentes candelabra cum candelis accenſis, *Bauldry*; deindè Celebrans medius inter Sacros Miniſtros elevantes fimbrias anteriores Pluvialis. Cęteri verò de Clero accedunt ad Chorum, & ibi dicunt Veſperas demiſſa voce, ſine cantu.

• Advertendum eſt, quod Sacramento in Taberna-

naculo incluſo, & in Sacello aſſervato, his diebus eſt genufleƈtendum utroque genu: Cruci vero, quę eſt in Altari majori, omnes, etiam Canonici genufleƈtere debent unico genu.

* Poſt Veſperas, *ex Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 23. & uſu Urbis*. Celebrans cum Alba ſtatim parat ſe in Sacriſtia Stola tantum violacea in modum Crucis ante peƈtus; Diaconus etiam alia Stola violacea Diaconali ſuper ſiniſtrum humerum, & Subdiaconus ſola Alba ſine Manipulis, *Gavant.* Sic autem parati procedunt ad denudationem Altarium, Thuriferario ſine Thuribulo, & Ceroferariis ſine candelabris pręcedentibus manibus junƈtis, & nudo capite, deindè Cęremoniarius etiam ſine Bireto, & manibus junƈtis procedit; tum Subdiaconus, & poſt eum Diaconus, & ultimo Celebrans & hi tres teƈto capite unus poſt alium manibus junƈtis. Incipiunt autem a majori Altari; ante quod omnes genufleƈtunt propter Crucem ibidem poſitam, excepto ſolo Celebrante, & Miniſtris, ſi ſint Canonici Cathedralis, qui tantum profundè ſe inclinant; Celebrans deindè cum Miniſtris aſcendit ad Altare, ubi incipiens denudationem, ſimul incipit mediocri voce, ita ut audiatur a Choro, & ſine cantu Antiphonam, *Diviſerunt ſibi &c.* quam omnes de Choro eadem voce proſequuntur, & deinde alternatim dicunt Pſalmum, *Deus Deus meus reſpice in me &c.* ſtantes quidem, juxta praxim Sacroſanƈtę Baſilicæ Lateranenſis, quo terminato, repetitur antiphona. Celebrans poſtquam antiphonam incęperit, paulo humiliori voce illam proſequitur cum Miniſtris, ac etiam Pſalmum dicit cum ipſis alternatim, & repetit an-

antiphonam in fine ; *Nicol. de Bralion*. Interim denudans Altare cum Miniſtris Sacris, amovet primo tobaleam ſuperiorem, mox alias ; tum pallium, & alia ornamenta, relicta tamen Cruce tecta velo violaceo, cum candelabris ſuper Altare; auferuntur etiam cortinę, tentoria, Credentia, & alia ſi adſint, *Bauldry*. Poſtea accedunt eodem ordine, quo ſupra, ad denudanda alia Altaria; *Biſſus lit. A. n.* 293. Si verò ante perfectam denudationem Altarium, eſſet finitus in Choro prędictus Pſalmus, non ideo repetitur, ſed tamen curent in Choro, ut illum magis moroſè, vel celeriùs dicant pro numero Altarium denundandorum ; ut ſi fieri poſſit, dicatur Pſalmus quouſque Altaria omnia ſint denudata ; *Biſſus*, *Bauldry*, *& alii*. Ubi verò copioſus eſt Altarium numerus, eodem tempore, quo Celebrans denudat Altare majus, alii Sacerdotes Cotta, & Stola violacea induti, vel alii Miniſtri inferiores poterunt illa denudare, recitando dictum Pſalmum. *Nicolaus de Bralion*. Tandem denudatis Altaribus, omnia Acolyti amovebunt, nihil in his relinquentes, niſi candelabra, & Crucem in medio coopertam. Ciborium autem conopęo violaceo potius, quam nigro cooperient, *Gavant.* cujus oſtiolum apertum relinquent.

¶ De aqua benedicta removenda hac die, & ſequenti Feria VI. è vaſis Eccleſię, nulla habetur Rubrica, nullumque extat Decretum, unde videtur potius non eſſe tollendam prædictam aquam ab Eccleſię fontibus, ut a variis Auctoribus validiſſimis rationibus probatur ; ac pręcipuè Decreto Alexandri I. quod habetur *in Canone*

Aquam &c. *de Conſecr. diſt.* 3. Et clarius in Lectione nona, quę de eodem S. Pontifice legitur *die* 3. *Maii in Feſto Invent. S. Crucis*, ubi legitur; *Idem decrevit, ut aqua benedicta, ſale admixto perpetuò in Eccleſia aſſervaretur*. Ex quo infertur; ergo numquam deeſſe debet aqua benedicta in Eccleſia. Idem infertur ex aſperſione aquę benedictę, quę *ex Rituali Rom.* his etiam diebus fieri debet Infirmis, quibus adminiſtratur SS. Viaticum, & Sacramentum Extremę Unctionis, nec non Cadaveribus Defunctorum. Idipſum denique *ex Rubricis Miſſalis Rom.* in die Sabbati Sancti probatur, quibus præſcribitur, quod *dicta Nona Sacerdos &c. adſtantibus ſibi Miniſtris cum Cruce, & aqua benedicta*; & infrà ſubnectitur: *deinde prędicta grana incenſi, & ignem ter aſpergit aqua benedicta*: ex quibus infertur, quod Rubrica ſupponit, exiſtere in Eccleſia aquam benedictam. Non enim dicit, quod fiat aquę Benedictio, ſicut dicit, quod fiat benedictio novi ignis, & quinque granorum Incenſi.

• Poſt denudationem Altarium hora competenti facto ſigno cum tabula, conveniunt Clerici ad faciendum Mandatum, *Rubric.* Dicitur autem *Mandatum* lotio pedum, quia hanc pedum lotionem mandavit Chriſtus, & quia Antiphonę incipiunt ab hac: *Mandatum novum &c.* Gavant. Quoniam autem Chriſti ęvo omnes nudis pedibus cum ſandalis tantum incedebant, ac pedes ambulando facillimè deturpabant; hinc factum eſt, quod hoſpitibus primum omnium præſtabatur officium lavandi, & extergendi eorum pedes. S. Paulus *ad Timot.* 1. *cap.* 5. innuit, Viduarum

mu-

munus eſſe hoſpitalitatem exercere, & Fidelibus pedes abluere. De hac cęremonia mentionem etiam facit S. Auguſtinus *in Epiſt. ad Januarium*. Hanc eamdem Chriſtus Dominus pręſtitit erga Diſcipulos ſuos, eamque ipſiſmet pręſcripſit exercendam illis verbis: *Mandatum novum do vobis &c. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Exemplo igitur, & mandato Chriſti Domini Epiſcopi, alii Prælati, & Superiores Regularium, nec non Principes Sæculares, & ipſemet Romanus Pontifex, ſolent duodecim pauperibus, vel aliis juxtà locorum, & Eccleſiarum conſuetudinem lavare pedes. Notandum, quod duplex olim in Eccleſia Romana fiebat lotio pedum Feria V. majoris Hebdomadę; primam exhibebat Pontifex duodecim Subdiaconis ſtatim ac Miſſam abſolverat: alteram poſt prandium tredecim pauperibus. Id colligitur *ex Ord. Rom. a Cencio Camerario tempore Cęleſtini edito*. Non dubium quin prima lotio Chriſtum repreſentet duodecim Apoſtolorum pedes lavantem: quid verò ſignificet altera lotio, ſcriptores non ſatis intelligunt. Sed obſervandum eſt Eccleſiam Romanam a Gregorii Magni temporibus, uſque ad noſtram ætatem, quotidie tredecim pauperes convivio excipere in memoriam illius geſti, quod contigit ętàte Gregorii Magni, quando nimirum duodecim pauperibus, quibus Gregorius prandium erogabat, Chriſtus ſeſe decimus tertius adjunxit, ſcilicet Angelus. Cum ergo vides Eccleſiam Romanam antiquitus laviſſe pedes tredecim pauperum, nullum tibi myſterium in mentem veniat; ſed opinare tantum Pontificem,

ut

ut majus humilitatis prębere exemplum, die Jovis Sancto, non ſolum pauperes excepiſſe convivio, quod quotidie fiebat, ſed etiam eorum pedes abluiſſe. Hinc cum prior illa conſuetudo Subdiaconorum pedes lavandi deſierit, & altera Romę retenta fuerit; manifeſtum eſt, Romanam Eccleſiam lavando pedes tredecim pauperibus, neque Paulum, neque Mathiam, nec Dominum Domus, nec Chriſtum ipſum in tertio decimo pauperum exhibere, ſed ea die imitari voluiſſe, & exemplum Chriſti lavantis Apoſtolorum pedes, & Gregorii charitatem tredecim pauperes prandio excipientis. Ut autem magis exprimeretur Chriſti Domini factum, ſeliguntur modò a Pontifice tredecim quidem pauperes, ſed Presbyteri, quod aliis diebus non fit.

* In loco, quo Officium Mandati fieri debet, paretur Scamnum oblongum panno viridi, vel alterius coloris veſtitum, non tamen rubei, ſuper quod ſedeant ii, quibus lavandi ſunt pedes, qui ſint numero tredecim, *ut ſupra*. Ante prędictum pannum ſternitur tapes oblongus, vel plures, & cuſſinus amplior; ne Celebrans lavans pedes genuflexus Sacras Veſtes maculet. Item a parte Epiſtolæ paretur Credentia, ſuper quam collocetur Miſſale pro Evangelio, linteum amplum, quo Celebrans pręcingi debet; item tredecim mappulę in una lance, vel ciſta honeſta poſitæ ad extergendos pedes tredecim lavandorum, *ex Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 24. & Bauldry*; vel iis deficientibus, paratur aliud linteum ſatis amplum ad prędictorum pedes extergendos, ſi illud quo Celebrans erit pręcinctus non ſufficiat. Item pelvicula cum mica panis, ac ma-

manutergium , & buccale cum aqua ad lotionem , & exterſionem manuum Celebrantis , & Miniſtrorum poſt lotionem pedum . Propè prędictum ſcamnum , vel alio loco commodiori parentur tria vaſa , unum aqua calida plenum , & herbis odoriferis , alterum aqua frigida ad temperandam calidam , ſi opus ſit , & tertium, in quod aqua pelvium effundatur poſt cujuſvis pedis lotionem , ſi neceſſe ſit . Pręterea parari debent ad minus duę pelves aqua , & herbis implendę , in quibus effunditur prædicta aqua calida , pro facienda ipſa lotione pedum ; Item Urceus ad prędictam aquam infundendam . Pręterea parari etiam debet unum legile nudum , vel duo , aut tria in plano cum Miſſali , ſeu Rituali , ubi ſunt Antiphonę , Pſalmi , & ℣℣. decantandi dum fiet pedum lotio . *Caſtald. & Bauldry* . His omnibus pręparatis , hora ſolita , quę ſolet eſſe tertia poſt Meridiem , proceditur è Sacriſtia ad locum pręparatum , *ut ſupra* , pręcedente Thuriferario cum Thuribulo , ſequuntur Ceroferarii cum Candelabris , deinde Cęremoniarius , & tandem Celebrans medius inter Diaconum , & Subdiaconum junctis manibus , & tecto capite ; Celebrans , ſcilicet Stola , & Pluviali violaceo ſuper albam indutus , ſine Manipulo ; Diaconus autem , & Subdiaconus Dalmatica , & Tunicella albi coloris cum ſuis Manipulis , quia Evangelium decantari debet , *Bauldry* . Celebrans autem cum ad planum Altaris pervenerit , profundam facit Cruci reverentiam , Miniſtris genuflectentibus ; deinde aſcendit ad Altare , illudque oſculatur in medio , & Diaconus ſtatim accedit ad Credentiam , ubi accipit de manu Cę-

remoniarii librum Evangeliorum, eumque portat de more ad Altare cum debitis genuflexionibus, miniſtrat Incenſum, (quod Celebrans cum Benedictione ponit in Thuribulo) deindè deſcendit ad ſecundum gradum Altaris, ibique genuflexus dicit *Munda cor meum &c.* petit Benedictionem, ea omnia ſervando tam ipſe Diaconus, quam Celebrans, quę in Miſſa Solemni pro cantando Evangelio: Quo finito Celebrans oſculatur librum a Subdiacono delatum de more, & incenſatur a Diacono. Ceroferarii deponunt candelabra ſuper Credentiam, Thuriferarius Thuribulum, & Miniſtri Sacri Manipulum ſuum; Celebrans verò exuitur Pluviali per eoſdem, illudque tradunt alicui Miniſtro, qui illud deponit in loco congruo, & per eoſdem pręcingitur magno linteo, ab Acolytis allato. Deinde medius inter Sacros Miniſtros accedit ad lotionem pedum, & diſpoſitis per ordinem treſdecim pauperibus, ſeu aliis, quibus ex more lavandi ſunt pedes, tectis capitibus, *ex Biſſo*, & ſedentibus; genuflexus, & nudo capite, lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum uniuſcujuſque, nullo modo formans ſignum Crucis ſuper eum, (ut *Gavant.* notat) quem tamen prius ille pauper debuit diſcalceare, & antequam ſedeat ſeorſim lavare debuiſſet, ne immundus appareat. Dum autem Celebrans pedem lavat, Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis genuflexus tenet illum paululum elevatum, ut commodius lavari poſſit; Diaconus verò a dextris Celebrantis pariter genuflexus extergit pedem lotum linteo, quo Celebrans eſt pręcinctus, *Cęrem. Epiſc.* Si tamen eſſent tot mappulæ (quod ad majorem decentiam

ut

ut ſupra, conveniret) quot ſunt illi, quibus lavantur pedes, Diaconus tunc pro unoquoque tradet Celebranti unam ex dictis mappulis, qui cum ea pedem lotum abſterget, *Biſſus*, *& Bauldry*. Interim autem aliquis Miniſter, ſeu Acolytus, pelvim aqua plenam ſub pedibus lavandi tenet, alter mutat aquam quando opus eſt, alius urceo infundit aquam tepidam, quando pariter opus eſt. Incipitur autem hæc lotio a Digniori, nimirum ab eo qui Altari eſt propinquior. Dum Celebrans incipit lotionem, Cantores ſuper nudo pulpito, vel legili in habitu Chorali incipiunt Antiphonam *Mandatum novum &c.* & Chorus eam proſequitur cum Pſalmis alternatim, ut in Miſſali. Poſt lotionem, & abſterſionem pedum, Celebrans lavat manus extra cornu Epiſtolę, uno ex Clericis aquam fundente, & altero manutergium; mox a Miniſtris exuitur linteo, quo erat præcinctus, & induitur ſuo Pluviali. Poſtea iidem Miniſtri Sacri ſumunt ſuos Manipulos, & Ceroferarii Candelabra, qui hinc inde accedunt ad latera Altaris in plano cum debitis genuflexionibus, & Celebrans in cornu Epiſtolę, Miniſtris poſt eum adſtantibus, alta voce, & devota dicit, *Pater noſter &c.* & alios ℣℣. (Choro reſpondente) & Orationem, prout in Miſſali; poſtea redit cum Miniſtris in Sacriſtiam ordine, quo venerant.

Feria ſexta in Paraſceve: hac die Miſſa non dicitur, *ex Innoc. I.*; quia percuſſo Paſtore diſperſi ſunt Apoſtoli, & uſque ad diem Paſchatis in triſtitia jejunaverunt. Præterea celebrare non convenit, cum hac die ſeiſpum obtulerit Chriſtus: *Alcuin*. Altare erit nudum cum Cru-

Cruce velata velo nigro , ita ut ſuo tempore facile queat detegi , & Candelabris ſex obſcuri potius coloris , & candelis ex cera communi , non alba, extinctis ; gradus ejuſdem nudi erunt , ſed tamen bene mundi pro Sacerdotis proſtratione; Credentia ſimplex linteo cooperta in ſuperiori tantum parte , cum neceſſariis tantum ad Officium , nempè burſa cum Corporali , & purificatorio , ampullis vini , & aquę , Miſſalibus duobus , mappa longa pro Altari , velo longo albo pro Celebrantis humeris ad Sacramentum reportandum , & candelabris Acolytorum cum Candelis ex cera communi .

Finita autem Nona procedunt ad Altare Celebrans cum Miniſtris in paramentis nigri coloris , Celebrans nempè cum Caſula , & Miniſtri cum Planetis plicatis , ſequenti ordine : Primus omnium præcedit Thuriferarius manibus junctis ſine Thuribulo , quem ſequuntur Ceroferarii ſine Candelabris, pariter manibus junctis, tum Cęremoniarius , deindè Miniſtri Sacri unus poſt alium ; ultimò Celebrans junctis manibus , capite tecto, ſicut & Sacri Miniſtri ; neminem ſalutantes , *Bauldry de Fer. 6. in Par. art.* 2. *n.* 3. Cum ad Altare pervenerint , Diaconus abſque oſculis recipit Biretum Celebrantis , illudque porrigit , ſicut & ſuum Cęremoniario , quod idem facit Subdiaconus , tum omnes in recta linea Cruci genuflectunt , ut docet *Caſtald. lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 2. *n.* 2. ; Deinde item in recta linea genuflectunt utroque genu in plana terra , ante infimum Altaris gradum , & ſtatim ſe proſternunt ponentes brachia, & capita ſuper cuſſinos violacei coloris ſuper ſecundum Altaris gradum poſitos,

ita ut genua eorum ſint in plano , caput verò , & brachia ſuper dictos cuſſinos , *ex Cęrem. Cler. Reg. S. Pauli lib. 2. cap.* 8. ſic proſtrati prolixius aliquantò orant , quaſi ultra ſpatium unius *Miſerere* ; *Cęrem. Papę lib. 2. tit. 1. cap. 51.* quo tempore omnes etiam , qui ſunt in Choro genuflectunt in ſuis locis , & ſtallis, & caput inclinant, & orant; quod idem etiam Populus debet in Eccleſia obſervare, *Biſſus, & Chriſtiani*. Acolyti verò facta brevi oratione , ſurgunt , & iterum genuflectunt Cruci , & ſumpta de Credentia tobalea plicata oblonga , eam, facta prius Cruci genuflexione , ſuper Altare extendunt , ita tamen ut nihil , aut parum hinc indè pendeat, *Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 26.*, qua extenſa Cęremoniarius ponit Miſſale cum cuſſino nigro in cornu Epiſtolę, & tranſacto orationis tempore, *ut ſupra*, admonet aliquo nutu Celebrantem , & Miniſtros, qui ſtatim ſurgunt , ſicut & omnes alii de Choro : Tum Celebrans cum Miniſtris Sacris aſcendit ad Altare , ablatis cuſſinis ab Acolytis, ne impediant, illudque Celebrans oſculatur in medio, Miniſtri verò genuflectunt Cruci unico genu , poſtea cum Celebrante accedunt ad cornu Epiſtolę , & ſtant ut ad Introitum Miſſæ Solemnis . Interim Cęremoniarius ad Credentiam miniſtrat Librum Lectori aſſignato , qui comitante eodem Cęremoniario pergit ad medium Altaris in plano , ibique genuflectit , & accedit ad locum ubi cantari ſolet Epiſtola, ubi cum Celebrans incipit legere ſubmiſſa voce Prophetiam, ipſe ſtatim, & nullo modo prius (contra quoſdam nimis properantes) incipit etiam cantare in tono Lectionis Prophetiam ipſam, vocem aliquantulum in-

inflectendo in fine, *Bauldry*. Eàque completa, redit ad medium Altaris, ubi genuflectit, & erectus extra medium Altaris reddit librum Cęremoniario; & redit ad locum ſuum facta reverentia Celebranti tantum, & non oſculata ejus manu, nec accepta Benedictione. *Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 25.* Finita Prophetia a Celebrante, Miniſtri Sacri non reſpondent *Deo Gratias*, & dicto Tractu a Celebrante, recedunt a latere dextrò ipſius Celebrantis, & deſcendunt unus poſt alium ut ſit ad Orationes Miſſę; Et finito Tractu in Choro, Celebrans ſtans in cornu Epiſtolę, dicit abſolutè, *Oremus*, & Diaconus dicit *Flectamus genua*; & hęc dicens primus omnium genuflectit, ſtatimque cum eo omnes pariter genuflectunt, ſolo Celebrante excepto, tum Subdiaconus primò ſurgens, & alii cum eo, dicit, *Levate*; quod ſemper eodem modo in pari caſu ſervari debet; *Bauldry*, *Biſſus*, *&* *Vinitor ſupra*. Poſtea Celebrans extenſis manibus cantat Orationem, ut in Miſſali, ad quam Sacri Miniſtri ſtant adhuc unus poſt alium poſt Celebrantem, ſicut etiam omnes in Choro ſtare debent capite inclinato, *Bauldry ſupra*, *&* *alii*. Interim Subdiaconus ſine genuflexione vadit ad Credentiam, ubi deponit Planetam, ſi ea utatur, capit librum a Cęremoniario, & facta Altari debita genuflexione, cantat Lectionem eodem loco, & modo, quo cantari ſolet Epiſtola, non tamen in fine oſculatur manum Celebrantis, ſed reddito libro Cęremoniario, reſumit Planetam, & redit ad Celebrantem, illi aſſiſtens a dextris Diaconi, ut in Introitu Miſſæ, in cornu Epiſtolæ. Dum autem Subdiaconus

L 2 can-

cantat ſupradictam Lectionem, Celebrans legit pariter eamdem cum Tractu ſubmiſſa voce, aſſiſtente ſibi Diacono a dexteris, qui tamen in fine non reſpondet, *Deo Gratias*.

Finito Tractu in Choro cantatur *Paſſio* ſuper nuda legilia a tribus Diaconis, qui eadem ſervare debent, quæ in Dominica Palmarum; habeant tamen Stolas, & Manipulos nigri coloris, & ita tempeſtivè accedant, ut non interponatur ulla mora inter Tractum, & Paſſionem. Celebrans item, & omnes alii eadem præſtare debent dum cantatur Paſſio, quę in Dominica Palmarum tradita ſunt. Cum Diaconus ille, qui perſonam agit Evangeliſtę, ad ea verba pervenerit *tradidit Spiritum*, omnes genuflectunt, etiam Celebrans, qui poſtea ſurgens redit ad cornu Epiſtolę ubi inclinatus dicit, *Munda cor meum &c.* non verò *Jube Domine*, quia Benedictio non petitur, ut *in Miſſali*, *Nicol. de Bralion. part.* 3. *cap.* 11. & leget in eodem cornu Epiſtolę reliquam Paſſionis partem, aſſiſtentibus Miniſtris ad dexteram, ſicuti ad primam partem ejuſdem Paſſionis. Tum Diaconus accedet ad Credentiam, ibique depoſita Planeta, accipit Stolam nigram latiorem (quam Planetam non reſumit, niſi poſt Communionem Celebrantis, quod ſemper in ſimilibus caſibus eſt obſervandum, *Biſſus lit. F. n.* 45.) tum accipit Miſſale, illudque portat ad Altare, dicit *Munda cor meum* genuflexus more ſolito, ſed non petit Benedictionem, *ut in Rubrica*. Et ſtatim, ut Cantores terminaverint Paſſionem, vadit de more ad locum Evangelii cum Subdiacono, & Ceroferariis, ſed ſine Candelabris, facta prius ab omnibus

de-

debita genuflexione Cruci, & cantat in tono Evangelii reliquam Paſſionis partem, ſed non incenſando, & non ſignando librum, neque ſe ipſum: Celebrans autem ſtabit manibus junctis ante pectus in eodem cornu Epiſtolę converſa facie ad Diaconum, nec ei oſculandum traditur liber nec incenſatur. Diaconus verò, & Subdiaconus expleta Paſſione, & facta in medio Cruci genuflexione, accedunt ad Celebrantem, ut ad Orationem Miſſę Solemnis, hoc eſt retrò manibus junctis, unus poſt alium. Interim Celebrans ſtans in cornu Epiſtolę incipiet abſolutè junctis manibus primam monitionem: *Oremus Dilectiſſimi &c.*, in tono Pręfationis Ferialis; eaque finita, extendens, & jungens manus, & caput inclinans Cruci, ſubjunget, *Oremus*: ſubdet verò Diaconus, *Flectamus genua*, & Subdiaconus *Levate*, ut ſupra. Tum cantabit Celebrans primam Orationem, extenſis manibus, & in tono Orationis Miſſę ferialis, ac eodem tono, & ritu cantabit reliqua, Orationes ſcilicet, extenſis manibus, Monitiones autem junctis, & eodem cantu quo primam. Chorus ad eaſdem Orationes, & Monitiones ſtat verſus Altare nudo capite, genuflectens cum dicitur *Flectamus genua*, & ſurgens cum dictum eſt, *Levate*, ac in fine Orationum reſpondebit *Amen* excepto ad Orationem pro Judęis, in qua non dicitur pariter *Flectamus genua*, nec *Oremus*. Ad Orationem pro Papa quando nominatur, Celebrans inclinat caput verſus librum inclinatione minimarum minima, quod etiam omnes alii faciunt. Si Imperator nondum ſit Coronatus, additur in Monitione *Electo*, ſi verò ſit defunctus,

L 3 &

& Imperium ſit vacans, tunc in Oratione pro Imperatore dicantur hęc verba: *Oremus, & pro Romano Imperio, ut Deus &c.* ita *Macrius in Hierol. verb. Cereus*. Non tamen addi debet nomen Regis, vel alterius Principis, ſeu Domini loci, quia hoc eſſet contra Bullam S. Pii V. *Gelracus Vinitor part. 6. tit. 11. n. 18.*

* Dum dicuntur ultimę Orationes, Acolyti, duce ſecundo Cęremoniario, extendunt tapetem, ſeu pannum violaceum ante gradus Altaris, ita ut pars ſuperior illius ſit ſuper oram ſuppedanei *Bauldry ex Cęrem. Epiſc.* & in infimo gradu Altaris ponent cuſſinum amplum violaceum, & ſuper illum extendent velum pręcioſum violaceo ſerico contextum, ſeu mappam ſericam. Celebrans verò cantatis Orationibus, deſcendit extrà cornu Epiſtolę ad partem poſteriorem Altaris, ubi deponit Planetam, quam Cęremoniarius trasfert ad Credentiam, & Subdiaconus cum eo in eodem cornu extra Altare ſuam deponit Plicatam, juxtà communiorem uſum Urbis; Diaconus tamen ſuam Stolam latiorem retinet; *Nicol. de Bralion.* Sed antequam pergant ad Crucis adorationem, debent Celebrans, & Miniſtri deponere etiam manipulos *ex Decr. S. R. C.* 15. *Sept.* 1736.

* Tum Celebrans medius inter Sacros Miniſtros accedit ad angulum poſteriorem cornu Altaris in parte Epiſtolæ, ibique ſe collocat in ſecundo gradu, facie verſa ad Populum, *Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 25.* Et ſtatim Diaconus, relicto ibi Celebrante cum Subdiacono a ſiniſtris, procedit per planum ad medium Altaris, ubi genuflectit reverenter Cruci, quam coopertam ſuo

velo nigro, *ut ſupra*, Sacriſta, vel Ceremoniarius, facta prius genuflexione, de eodem Altari reverenter capit, & ſine oſculis illam tradit eidem Diacono, qui eam ſumma cum reverentia, converſa facie ad ſe ipſum, ad Celebrantem portat per planum, eidemque ſtanti illam facie Crucifixi ad Populum verſa, ſine oſculis tradit. *Bauldry*. Celebrans autem devotè acceptа Cruce ſtans ibidem adhuc verſus Populum in medio Diaconi a dextris, & Subdiaconi a ſiniſtris ejus, verſa quaſi facie ad Crucem, manu dexterà, ſiniſtra eam tenens, detegit Crucis ipſius ſummitatem uſque ad tranſverſam partem, ita tamen, ut caput Crucifixi non appareat, adjuvantibus eum Ceremoniario, & Miniſtris Sacris, ſi opus ſit, *Bauldry*. Tum idem Celebrans ambabus manibus elevans Crucem reverenter ad oculorum altitudinem, *ex Cerem. Papę Marcelli Corcyr. lib. 2. ſect. 1. cap. 51.* & eam Populo oſtendens, voce demiſſa, (ut ſecundò, & tertiò altius cantare poſſit citrà indecentiam) ex Miſſali ſuſtentato ab Acolyto ante ipſum ſtante renibus ad Populum verſis, incipit ſolus in cantu ſecundùm notas in predicto Miſſali appoſitas Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, ſtantibus omnibus in Choro nudo capite; qua Antiphona a Celebrante intonata, Miniſtri Sacri, una cum Ceremoniariis, & Acolytis ad Altare aſſiſtentibus, proſequuntur eodem tono, *In quo ſalus mundi pependit*: & Chorus eodem pariter tono reſpondet, *Venite adoremus*: quo tempore omnes genuflectunt, capite etiam valde demiſſo, excepto Celebrante, qui ſemper ſtat. Mox ſurgentibus omnibus, Celebrans procedit ad angulum anteri-

riorem Altaris in cornu Epiſtolę, in eodem ſcilicet loco, ubi dicit Introitum Miſſę, ibique detegit brachium dexterum Crucis, & caput Crucifixi, eamque aliquantulum elevando, *ut ſupra*, cantat altiori voce, *Ecce lignum Crucis*, cui Miniſtri, & Chorus reſpondent eodem tono, *ut ſupra*, eadem pariter obſervantes: ac tandem ad medium Altaris procedens, facie ad Populum converſa, tota Cruce diſcooperta, & elevata, altiori voce repetit, *Ecce lignum Crucis*, & Miniſtri, & Chorus pariter altius reſpondebunt, *ut ſupra*. Poſtea Celebrans ſolus ſine Miniſtris deſcendit per latus Evangelii, ſine genuflexione, ad locum ubi paratus eſt cuſſinus, ambabus manibus portans Crucem elevatam, facie Crucifixi verſa ad Populum, & utrumque genu flectens, eam collocat reverenter ſuper dictum pulvinum, & interim omnes Cruces, quę ſunt per Eccleſiam, non autem aliæ Imagines denudantur a Sacriſta, vel ab aliis, ſi commodè fieri poteſt, *Bauldry*, *& alii*. Dum Celebrans ſic Crucem aptat, Miniſtri Sacri, & omnes alii manent genuflexi in loco ſuo; Celebrans vero poſita Cruce ſurgit, & facta iterum genuflexione, recedit ad ſedem ſuam ad latus Epiſtolę, ſicut & Miniſtri Sacri, qui facta verſus Crucem etiam genuflexione, ad eamdem ſedem accedunt. Tum Celebrans, juvantibus Acolytis, deponit calceamenta, & detecto capite ſolus, manibus junctis, procedit per planum devotè, oculis demiſſis ad Crucis adorationem; & quia trina genuflexione hanc adorationem perficere debet, ideo primam genuflexionem faciet in loco deſignato, ita a Cruce adoranda diſtante,

ut

ut inter unam genuflexionem, & aliam æqualis, & ſufficiens diſtantia intercedat. Genuflexus igitur utroque genu faciet primam adorationem capite reclinato in terram ſuper manus junctas, & ſecretò dicet: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per S. Crucem tuam redemiſti Mundum*, Gavant. Deinde ſurgens, accedet ad locum ubi ſecundò genuflectendum eſt, & ibidem pręſtabit, quod in prima adoratione; tum progrediens ulterius, accedet ad locum Cruci propinquum, ubi tertiò pręſtabit quod prima, & ſecunda vice, dicens ad ſingulas genuflexiones *Adoramus &c.* quibus prolatis etiam tertia vice, adhuc genuflexus oſculabitur pedes Crucifixi (majoris namque eſt humilitatis oſculari pedes, quam latus Crucifixi, & ſaltem, ob reverentiam, ab oris oſculo abſtinendum eſt, *Nicol. de Bration*, *Bauldry*, *& Biſſus*) & particulam verę Crucis, ſi aderit, offerens tamen prius Cruci pecunias, quas offerre volet in Bacili ibi pręparato, *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 26. Deinde ſurgit, & facta genuflexione Cruci unico genu, & inclinatione Altari, *ex Cęrem. Cler. Reg. S. Pauli*, redit per breviorem viam ad ſedem ſuam in cornu Epiſtolę, ubi reaſſumit calceamenta, Planetam, & Manipulum adjuvantibus Miniſtris, tum capite tecto ſedet; *Bauldry*, *Biſſus*, *& Vinitor*. Deinde Miniſtri Sacri, & non prius, diſcalceati, ſine Planetis, & ſine Manipulis, procedunt ſimul manibus junctis ad Crucem ter genuflectentes, ut Celebrans, & orantes ad loca deſignata, obſervantes, ut ad tertiam adorationem unus ſit ex una parte, alius ex alia genuflexus quaſi in medio Crucem habentes,

(quod

(quod & alii omnes obſervabunt) pedes autem Crucifixi primo Diaconus oſculetur, deinde Subdiaconus, ſimul verò ſurgent; & facta Cruci ſimul, & Altari genuflexione unico genu, redeunt ad locum, in quo calceamenta depoſuerant, ibique facta Celebranti inclinatione, ea reſumunt, & Subdiaconus ſuam etiam Planetam, & Manipulum; Diaconus verò ſumit Manipulum tantum, remanens cum Stola latiori, & ſtatim ſedent cum Celebrante tecto capite.

Statim autem ac Celebrans procedit ad adorandam Crucem, Cantores in Choro inchoant Improperia: ac propterea quatuor deſignati, duo in primo, ac duo pariter in ſecundo Choro alternatim Verſus cantabunt, quibus ſuo ordine Chorus reſpondet prout in Miſſali habetur. Et Celebrans poſtea ſedens cum Miniſtris, *ut ſupra*, librum Miſſalem hinc inde ante eum ſuſtinentibus, legit dicta improperia ſubmiſſa voce; vel aliquis Acolytus librum ipſum ſuſtinet, & lectis improperiis defert ad cornu Epiſtolæ. Interim Seniores de Clero, deinde alii per ordinem deponentes calceamenta ſua in locis ſuis bini, & bini accedunt ad Crucem adorandam eodem Ritu, quo Celebrans, & Miniſtri. Si adſint Prælati extranei, poſt Celebrantem ante Miniſtros Crucem adorabunt eodem ordine. Epiſcopus verò proprius etiam ante Celebrantem Crucem primus adorat, *Cærem. Epiſc.*. Quilibet autem Laicus etiam Princeps, poſt Clerum procedat ad adorationem, cum ſit actus profundæ humilitatis, vel ſaltem poſt Canonicos; *Cærem. Epiſc.*

Notandum occurrit, quod pro Mulieribus, & Populo debet extendi in loco apto tapetum cum

cuſ-

cuſſino, & velo: tum Sacerdos Stolâ nigra ſuper ſuperpelliceum indutus illuc defert aliam Crucem aliquo Acolyto pręcedente.

Circa finem adorationis, Ceroferarii accendunt ſex Cereos qui ſunt in Altari, & illos duos, quos delaturi ſunt; Diaconus item ſurgit, & facta reverentia Celebranti, (interim Subdiacono ſtante nudo capite) vadit ad Credentiam, & capit è manibus Cęremoniarii Burſam habentem intus Corporale, & purificatorium ſuper eam poſitum, quam burſam per viam breviorem ad oculos uſque elevatam ambabus manibus portat ad Altare; & facta Cruci, quæ adoratur genuflexione, & Altari inclinatione, quia tunc nulla eſt Crux in eo, explicat Corporale ſolito more in medio, propè quod ponit purificatorium in parte Epiſtolæ, depoſitâ burſa inter Candelabra in cornu Evangelii; & poſtea ad locum redit cum debitis Altari, Cruci, & Celebranti, reverentiis, & ſedet cum Subdiacono, qui ſtabit interim de more nudo capite. Cęremoniarius autem, vel alius eodem tempore defert Miſſale ad latus Evangelii cum debitis genuflexionibus Cruci prædictę, illudque relinquit apertum ſuper cuſſinum, *Bauldry*, & *alii*.

Finita autem adoratione Crucis, Diaconus iterum ſurgit (ſicut & Subdiaconus, qui tamen ſtat apud Celebrantem) deponit biretum, & facta Celebranti reverentia, vadit ad locum ubi eſt Crux, eamque, facta genuflexione, reverenter capit, & ambabus manibus uſque ad oculos elevatam, nulli reverentiam faciens, ad Altare reportat, *ex Gavant. Bauldry*, & *Biſſo*. Ce-

le-

lebrans ſurgens tranſeunti Cruci ſimul cum Subdiacono nudo capite genuflectit, ſicuti & alii omnes de Choro. Diaconus itaque depoſita Cruce in medio Altaris inter Candelabra, genuflectit eidem Cruci, & redit ad Celebrantem ei ſe inclinans. Mox Celebrans, & Miniſtri depoſitis de more biretis ſuis ſuper ſedem, accedunt nudo capite, & manibus junctis ad Altare, cui omnes, etiam Celebrans, genuflectunt. Tum procedunt omnes ad locum ubi eſt Calix cum SS. Sacramento per viam breviorem, ordine, quo *ſupra in Feria V. prec.* Cumque Celebrans, & Miniſtri Sacri ad Sacellum pervenerint, ſtatim genuflectunt, ſurgunt, & ad Altare accedunt, ante quod iterum genuflectunt in plano, tum ſurgunt, & genuflectunt in primo gradu: *Cęrem. Epiſc. ſupra*. Et tam ipſi, quam alii omnes in locis ſuis genuflexi aliquantulum orant, nempè per ſpatium unius *Miſerere* : *Biſſus lit. P. n.* 226. & interim accenduntur faces, & Candelę in Proceſſione deferendę, quę non extinguuntur, niſi poſt ſumptionem Sacramenti : *ex Rubrica*. Tum ſolus Diaconus ſurgens ab oratione, & facta genuflexione, aperit Capſulam, in qua eſt SS. Sacramentum, & facta iterum genuflexione redit ad Celebrantis dexteram, cui miniſtrat naviculam primi Thuriferarii, & ex ea ponit, abſque Benedictione nihil dicens, thus in duobus Thuribulis; Tum genuflexus accepto primo Thuribulo ter incenſat SS. Sacramentum in ſilentio, inclinans profundè caput ante, & poſt, Miniſtris elevantibus de more Planetam. Incenſato autem Sacramento, Subdiaconus, *ex Caſtald.*, vel Cęremoniarius, *ex Merato*, velum album ſuper hume-

ſos Celebrantis adhuc genuflexi adaptat; & interim Diaconus aſcendit ad Altare, & facta genuflexione extrahit Calicem de Capſula, (quam ſtatim claudit, ſi in ea Pyxis remaneat cum Particulis conſecratis), & tenens illum dexterà per nodum ſiniſtrà per pedem, tradit Celebranti genuflexo, atque veli extremitatibus tegit, qui utraque manu Sacramentum ante oculos elevatum tenens, convertit ſe ad Populum, & tunc Cantores genuflexi inchoant Hymnum *Vexilla &c.* quem proſequitur Chorus alternatim; mox ſurgentes omnes, procedunt ordine ſolito, ultimo Celebrans medius inter Miniſtros Sacros ſub Baldachino albo, quod a Clericis Cottis indutis, vel a Nobilibus, ſi ſit conſuetudo, (quę tamen introducenda non eſt) deferri debet: Cumque Celebrans pervenerit ad Altare, ſtans in ſecundo gradu tradit Calicem Diacono genuflexo ſuper ſuppedaneum Altaris in cornu Epiſtolæ, & ſtatim ipſe Celebrans genuflexus una cum Subdiacono utroque genu, adorabit SS. Sacramentum in manu Diaconi, qui ſurgens poſtea Calicem adhuc velo tectum collocat in medio Corporalis; & tunc Celebrans erigit ſe a profunda inclinatione, non tamen ſurgit, & Subdiaconus tunc, & non prius ab ipſius humeris amovet velum, quod Acolytus aliquis ad Credentiam, ſeu ad Sacriſtiam defert. Diaconus item, facta genuflexione unico genu, deſcendit ad dexteram Celebrantis, qui ſine Benedictione, nihil dicens, thus imponit in Thuribulo; tum genuflexus, *ut ſupra*, iterum SS. Sacramentum ter incenſat. Deindè medius inter Miniſtros Sacros aſcendit ad Altare, ubi iterum genuflectit cum ipſis; Et Diaconus ſta-

ſtatim amovet parvum velum de Calice, atque iterum genuflectens, removet etiam Patenam, & Pallam: quam Patenam invertit, & tenet elevatam ſuper Corporale coram Celebrante. Hic verò Calicem accipiens, ex eo deponit Hoſtiam Sacram ſuper dictam Patenam, quam tenet Diaconus, ambo advertentes, ut nullo modo Hoſtiam tangant: Tum Celebrans, poſito Calice ſuper Corporale, reverenter accipit Patenam de manibus Diaconi, ambabus etiam manibus ſine oſculis, & Hoſtiam ponit ſuper Corporale in medio ejus nihil dicens, & ſine ullo ſigno Crucis cum Patena, quam ſtatim non ſubtus, ut aliàs, ſed ſuper Corporale, ob reverentiam Sacrarum Specierum collocat. Si verò fortè ex inadvertentia Sacram Hoſtiam tetigerit, digitos tunc ibidem lavabit in vaſe pręparato uno Acolyto miniſtrante aquam (quam poſtea ipſe Celebrans ſumet poſt Communionem ſuam), & Diacono Purificatorium ad digitos extergendos. *Bauldry*. Tum Diaconus imponit vinum in Calicem prędictum, [quem prius non extergit] & Subdiaconus, ſtans in cornu Epiſtolæ, aquam, quam Celebrans non benedicit, nec dicit Orationem *Deus qui humanę ſubſt. &c.* Deinde Diaconus Calicem tradit de more Celebranti ſine oſculis, & hic illum reponit ſine ſigno Crucis, & nihil dicens ſuper Corporale poſt Hoſtiam, ut in Miſſa; quem Diaconus ſine genuflexione Palla cooperit, *Bauldry*. Celebrans deindè ponit incenſum in Thuribulo, miniſtrante Diacono, ut in Miſſa Solemni, ſed ſine Benedictione, & ſine oſculis, & incenſat Oblata, & Altare more ſolito. *V. Miſſa Solemnis*. Hodie tamen nec Ce-

lebrans, nec alii ullo modo incenſantur.

* Queſtio, quę fuit inter DD. utrum poſt incenſationem Oblatorum ſit incenſanda Crux Altaris, ceſſat ob Decreta edita a *S. R. C.* 3. *Aug.* 1697. & 5. *Jul.* 1698. in quibus ſtatuitur, quod in hac Feria poſt Thurificationem Oblatorum, debet incenſari Crux: facta tamen tali incenſatione, non eſſe iterum Thurificandum Sacramentum, quę quidem Decreta conſonant Rubricæ hujus diei, qua prçſcribitur, Altare, & Oblata eſſe incenſanda more ſolito.

* Celebrans igitur, [quia incenſari non debet] reddito Thuribulo, deſcendit immediatè, (advertens ne terga vertat SS. Sacramento) cum Miniſtris Sacris in planum per gradus laterales Epiſtolæ, ubi verſa facie ad Populum, *Gavant. ex Cęrem. Epiſc.* lavat manus nihil dicens, miniſtrante aquam Acolyto, & Miniſtris Sacris manutergium, ut in Miſſis Defunctorum. Deinde redit ad Altare per eoſdem gradus laterales cornu Epiſtolę, & genuflectit in medio unico genu, & una cum eo Diaconus vadit ad librum, & in tranſitu per medium genuflectit unico genu: Subdiaconus verò vadit per planum, & ad medium Altaris ſimul cum Celebrante, & Diacono genuflectit, & ibi ſe ſiſtit ante infimum Altaris gradum. Tunc Celebrans inclinatus, junctiſque manibus ante medium Altaris dicit: *In ſpiritu humilitatis &c.* Deindè oſculato Altari, & facta iterum genuflexione, vertit ſe ad Populum in cornu Evangelii, dicens *Orate fratres*, & per eamdem viam, non perficiens circulum, ne terga vertat Sacramento, redit ad medium genuflectens iterum; non re-

reſpondetur *Suſcipiat*, ſed immediatè omnibus aliis omiſſis junctis manibus cantat Celebrans in tono feriali; *Oremus præceptis &c.* eodem Ritu quo in Miſſa, & Chorus in fine reſpondet, *Sed libera nos a malo*. Et Celebrans ſub ſilentio dicto *Amen*, eadem voce, qua dixit *Pater noſter* abſolutè, ſine *Oremus*, in tono ferialis Orationis dicit, *Libera nos &c.* manibus extenſis uſque ad finem, non ſignans ſe cum Parena; & in fine Chorus alta voce reſpondet, *Amen*. Tum Celebrans genuflectit devotè, atque erectus poſtea ſubmittit Patenam Hoſtię, quam dextera tantum accipiens elevat ita, ut a Populo videri poſſit, figens ſemper in eam oculos, non tamen elevat Patenam, cum ea; ſed eam ſiniſtrà tenet ſuper Corporale. Ad hanc Elevationem non incenſatur Sacramentum, nec tabula lignea pulſatur *ex Bauldry*: Diaconus verò, & Subdiaconus genuflectunt in ſecundo gradu, non elevantes tamen Planetam Celebrantis. Quando Celebrans incipit declinare Hoſtiam Sacram jam elevatam, Miniſtri Sacri ſurgunt, *Memorial. Rit.* Diaconus ſtatim accedit ad dexteram Celebrantis, & Subdiaconus ad ſiniſtram, ubi cum ipſo Celebrante, repoſita Hoſtia ſuper Patenam, genuflectunt: Diaconus inde diſcooperit Calicem ſine genuſlexione, quia in eo non eſt adhuc SS. Sacramentum; Tum Celebrans Sacram Hoſtiam in tres partes dividit more ſolito, quarum minimam ponit in Calice nihil dicens, & nullum faciendo cum prędicta particula ſignum Crucis ſuper Calicem, *ex Decr. S. R C.* 28. *Aug.* 1627. Deinde Diaconus tegit Calicem; & poſtea tam ipſe, quam Celebrans, ac Subdiaconus ge-

genuflectunt unico genu, *Bauldry*, *Biſſus &c.* Tum Celebrans manibus junctis ſuper Altare profundè inclinatus, aliis omiſſis, dicit tertiam tantum Orationem, ſcilicet, *Perceptio Corporis &c.* Interim Diaconus, & Subdiaconus mutant loca ſua, quia ille accedit ad librum, hic ad dexteram Celebrantis, genuflectentes ibi in acceſſu, & receſſu. Celebrans verò dicta Oratione, genuflectit, & ſurgens, dicit ſecretò, *Panem Cœleſtem &c.* accipiens de more Hoſtiam cum Patena, & inclinatus cum Miniſtris dicit ter *Domine non ſum dignus*, ter quoque ſibi pectus percutiens; Poſtea erectus ſignat ſe cum SS. Sacramento, dicens, *Corpus Domini &c.* illudque reverenter ſumit de more cubitis ſuper Altare poſitis, Miniſtris interim profundè inclinatis, qui poſtea erigunt ſe dum Celebrans quieſcit in meditatione SS. Sacramenti. Mox omiſſis aliis, quę dici ſolent in ſumptione Sanguinis, Subdiaconus detegit Calicem, omneſque genuflectunt, cum in ipſo ſit particula Hoſtię conſecratę, & Celebrans collectis de more fragmentis, extergit in ſilentio Patenam ſuper Calicem, deinde particulam Hoſtię cum Vino in Calice exiſtentem ſumit nihil dicens, neque ſe ſignans, *ex Decr. ſuprà*, Miniſtris iterum profundè inclinatis. Celebrans non purificat Calicem more ſolito, ſed tantum abluit digitos, extergit, & ſumit ablutionem ex Calice, poſita in eo etiam aqua, cum qua fortè lavit manus antea ſi tetigit Hoſtiam initio, qua ablutione in medio Altaris de more ſumpta, inclinatus ibi, & manibus junctis ante pectus, & non ſuper Altare, *ex Cęrem. Cler. Reg. S. Paul. lib. 2. cap. 8.* dicit, *Quod ore*

M *ſum-*

ſumpſimus &c. Quo tempore, & non immediatè poſt ſumptionem Calicis, extinguuntur Cerei, & faces omnes a Clericis, & aliis delatæ. Celebrans verò, omnibus aliis omiſſis, facta reverentia Altari, recedit cum Miniſtris in Sacriſtiam ſine Candelabris; Et ſtatim in Choro dicuntur Veſperę, ut heri.

Forma Conſecrationis eſſentialis, & neceſſaria ea tantum verba complectitur, quę in Conſecratione Euchariſtię pronuntiavit Chriſtus Dominus, nimirum: *Hoc eſt Corpus meum; Hic eſt Calix Sanguinis mei &c.* non verò preces, ſive quę præcedunt apud Latinos, ſive quę ſequuntur apud Græcos, aliaſque Orientales Nationes. Adeoque ſi Celebrans facta Conſecratione advertat Hoſtiam eſſe corruptam, vel non eſſe triticeam, remota illa Hoſtia, & poſita alia, pręſcribit Rubrica, quod faciat Oblationem ſaltem mente conceptam, & poſtea incipiat a Conſecratione, ſcilicet ab illis verbis, *Qui pridie quam pat. &c.* non verò ab Oratione illa; *Quam Oblationem &c.* Valde ergo, ut Auctores communiter inferunt, Eccleſia Latina judicat Euchariſtiam conſecrari ſine illa Oratione. Notanda eſt hoc loco cum *Gavanto*, ſingularis Doctrina *Suar.* 3. *diſp.* 85. *ſect.* 1. quod ſi contingat defectus eſſentialis in forma, nempè cùm mutatione ſenſus verborum Conſecrationis, iteranda eſt Conſecratio, ut perficiatur Sacrificium; & ſi contingat id cognoſci poſt ſumptionem ſpeciei non rite conſecratę, iteranda eſt item talis Conſecratio, appoſita materia, quæ non fuit conſecrata, *juxta Rubr.* Quod ſi defectus accidat in utraque ſpecie, & jam utramque ſumpſit, non eſt quod

ſup-

ſuppleat, quia Sacrificium nullum fuit, ſed totum fictum, & eo caſu nullum eſt pręceptum de faciendo vero Sacrificio, neque de ſupplendo, quod non eſt incęptum neque ex parte, & obligat tunc aliud pręceptum de non ſacrificando fracto jejunio. Verba autem utriuſque formę Corporis, & Sanguinis debent proferri a Sacerdote ut induente, ac ſuſtinente Perſonam Chriſti, non verò in Perſona ejuſdem Sacerdotis, ideoque omnia verba Canonis, incipiendo a verbis: *Qui pridie &c.* uſque ad *Unde, & memores &c.* dicuntur a Sacerdote hiſtoricè. Sola autem verba, quæ utrique formę eſſentialia ſunt, ſcilicet *Hoc eſt enim Corpus meum*: *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei &c.* proferuntur a Sacerdote non tantum materialiter, & recitativè, ſed etiam formaliter, ſignificativè, & enunciativè. Si autem Celebrans non recordetur ſe dixiſſe ea, quę prędictam Conſecrationis formam conſtituunt, non debet propterea turbari, *ex Rubrica*: ſi tamen certò ei conſtet, ſe formam Conſecrationis, ſive totam, ſive partem omiſiſſe, formam ipſam tantum repetere debet, ut *ex Rubrica* optimè docet *Gavant.* Unde non approbantur illi, qui putant, ſi Conſecratio Panis iteranda ſit, incipiendum, & repetendum eſſe de neceſſitate Sacramenti ab illis verbis, *Qui pridie &c.* ſic Calicis Conſecratio ab illis verbis, *Simili modo &c.* Neceſſe autem non eſt in prolatione formę, ut ſonus verborum attingat Hoſtiam, vel Calicem, *Suar. diſp.* 45. *ſect.* 1.

Fragmenta ſumma diligentia ex Corporali colligenda ſunt, atque ut exactius colligantur, poterit

manu ſiniſtra (pollice, & indice ſimul junctis) poſita inter Corporale, & tobaleam, levius excutere Corporale parumper elevatum, ut fragmenta in Patenam paulùm inclinatam a parte inferiori decidant. Deinde Celebrans ſumendo Patenam manu ſiniſtra, non ex ea parte, qua fragmenta collegit, eamque ſuper Calicem elevans, pollice, & indice manus dexterę inquirit fragmenta, quę Patenę adhęrent, eaque dictis digitis immittit in Calicem; *Tonellius*, *&* *Bonam.* Nec Patena ipſa, ut multi malè faciunt, debet de manu ſiniſtra, in dexteram transferri, ut iterum purgetur indice, & pollice ſiniſtræ manus, nec invertenda eſt, aut concutienda ad Calicem cum ſtrepitu, ut inde fragmenta decidant. Exterget præterea digitos ſuos Sacerdos, numquam tamen ad Calicis labia, ſed ipſos perfricando, & adhibitis etiam, ſi opus ſit alterius manus digitis, *Biſſus*, *&* *Bauldry*. Quod ſi Sacerdos poſt ſumptam ablutionem aliquod Hoſtię fragmentum in Patena repererit, poteſt illud ſtatim ſumere; quia tota illa actio reputatur unus actus, una perfecta Sacrificii conſumptio, & unicum Convivium, *Vinitor ex Bonacin. de Euch. diſp. quęſt. 6. part. 2. n. 12 &* *Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 22.*

G E

GEnuflexio: Uſus genua flectendi ortum habet ab antiquis, (& habetur expreſsè 3. *Regum cap.* 8.) tum a Chriſto, *Luc.* 22. & a S. Stephano, *Act.* 7. Finis illius duplex eſt, ad orandum, & ad adorandum. Inflexio enim genuum, *ex Raban.*, pęnitentię, & luctus eſt indicium, & per hunc habitum Corporis, *ex Alcuin.* mentis humi-

li-

litatem oſtendimus : atque , *ex Gemma lib.* 1. *cap.* 117. cadimus in terram , ut Chriſtum in carne adoremus . Et quamvis *Conc. Nic.* ſtatuerit non genufleꝺendum in Dominicis , neque tempore Paſchali , ſed a ſtantibus orandum eſſe , ad ſignificandam libertatem , *ut ait Rupert. lib.* 8. *cap.* 3. quam Chriſtus ſua Reſurrectione nobis acquiſivit ; tamen non prohibuit adorationes cum genuflexione .

* Quando autem a Celebrante , a Miniſtris , & Choro genufleꝺendum ſit in Miſſa privata , & Solemni , vide Rubricam *De Ordine genufleꝺendi &c. tit.* 17. Dubitant tamen non pauci quando unicum genu , & quando duo genua ſint fleꝺenda . Celebrans quidem in Miſſa privata juxta uſum communiſſimum ab initio ad finem uſque , unico tantum genu debet fleꝺere , ut facilius ſurgat ; pariterque in Miſſa Solemni ad ea omnia , quę ſunt communia privatę Miſſę . Duobus autem genibus fleꝺere debet in Miſſa Solemni ad ea , quę a Choro cantantur cum pręſcriptione genuflexionis ex Rubrica : & regulariter quando cum aliqua morula eſt genufleꝺendum , & quaſi orandum . Miniſtri verò intrà Miſſam eadem ſervare debent , quæ facit Celebrans , ut expeditius illi miniſtrent . Ad *Fleꝺamus genua* ambobus genubus fleꝺant , & ad Elevationem SS. Sacramenti , *Gavantus* . Subdiaconus Patenam tenens , non tenetur genufleꝺere toties , quoties Celebrans , quia non illi tunc miniſtrat , ut Diaconus , *Gavantus* . Alii de Clero a Conſecratione , uſque ad Communionem cum tranſeunt ante Altare duo genua fleꝺere debent , & item quando patet Sacramentum in

Altari ad *Flectamus genua*, ad Confeſſionem, ad Orationes jejuniorum, Verſus &c. Et Chorus in Miſſa Solemni genuflectit initio Canonis, & ſurgit poſt depoſitionem Calicis, *Cærem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8.

* Si Sacerdos Celebraturus tranſeat ante Altare, in quo tunc elevatur, vel miniſtratur SS. Sacramentum, genuflectat utroque genu cum bireto in capite; Deinde (& non prius ut malè plerique faciunt, & minus cautè ob Calicem, quem manù geſtant) caput detegat, & adoret Sacramentum profundè inclinatus, nec ante ſurgat, quàm Celebrans depoſuerit Calicem ſupra Corporale, ſed priuſquam ſurgat ponere debet biretum in capite, *Bauldry part.* 3. *Rubr.* 1. *n.* 3. *Polaccus*, *Bonamicus*, *atque alii*. Tranſiens autem ubi fit Populi Communio, debet quidem utroque genu flectere, ſed *ex Decreto S. R. C.* 5. *Jul.* 1698. non debet permanere genuflexus donec, & quouſque terminetur Communio. Tranſiens demum ante Altare, ubi advertat adhuc eſſe poſt Conſecrationem Sacramentum, genuflectat unico genu, deindè detegat caput, & non prius, *ut ſupra*. Si antequam Sacerdos Miſſam incipiat elevetur in Altari vicino SS. Euchariſtia, utrumque genu flectat in infimo gradu, nec ſurgat, niſi depoſito Calice, *Bauldry*, *Caſtaldus &c.* Si verò adhuc accomodet Calicem, aut Miſſam requirat, proſequatur quę peragit abſque genuflexione.

Gloria in excelſis Deo. Hymnus Angelicus eſt dictus, quia illum cecinere Angeli in Nativitate Domini, cui addidere reliqua uſque ad finem varii Doctores, *ex Conc. Tolet.* 4. *can.* 12. Di-

ci-

citur autem hujuſmodi Hymnus in Miſſa, *ex Rubrica*, quandocumque in Matutino dictus eſt Hymnus *Te Deum &c.* . Hęc tamen regula intelligitur, quando dicitur Miſſa correſpondens Officio, in quo dicitur *Te Deum*; nam plerumque in Miſſis Votivis non dicitur, ſed tantum in Votivis de Angelis, quia, ut dictum eſt, prima hujus hymni verba è Cęlo ad nos Angelorum Chorus invexit, & in Miſſis B. M. quę dicuntur in Sabbato (*non autem aliis diebus*), etiam more votivo, ut bene advertit *Gavantus*, quando, ſcilicet, Officium dictum non eſt de eadem B. M. ſed de aliquo Sancto Semiduplici Ritu. Ceterùm numquam dicitur in aliis Votivis etiam tempore Paſchali, vel infra Octavas, etiam in Miſſa Votiva de Titulari, vel Patrono, *ex Decr. S. R. C.* 4. *Aug.* 1658. Prętereа non dicitur in Miſſa Vigiliarum, & Feriarum majorum infra Octavam. In Miſſis de Sancto Simplici dici poteſt etiamſi de eo recitatum non ſit Officium, ſed ſola Commemoratio facta ſit; nam ſemifeſtiva appellari poteſt hæc Miſſa, partim ſcilicet Votiva, partim Feſtiva, quia in die Natali ejuſdem Sancti celebratur. Dicitur denique in Miſſa Votiva Solemni pro re gravi, vel publica Eccleſiæ cauſa, ut videbimus agentes de Miſſis Votivis.

Ritus autem dicendi in Miſſa Hymnum prædictum ſatis apertè habetur in Rubrica. Notandum tamen occurrit, quod Sacerdos, dicto in medio Altaris junctis manibus ante pectus, *Kyrie eleiſon*, ibidem dicit *Gloria*, & disjungit manus, *in excelſis*, & elevat eas uſque ad humeros, & non ultra eorum latitudinem, aut altitudinem, *Deo*, &

manus iterum jungit, & caput eodem tempore inclinat Cruci inclinatione ſimplici.

Graduale, ſic dictum, quia cantabatur in inferiori gradu, *Ord. Rom.* vel juxtà gradus Pulpiti, in quo legebatur Evangelium, *Raban. lib.* 1. *cap.* 33. vel in gradibus Altaris, *Durand. lib.* 4. *cap.* 19. Gradualia in Antiphonario Gregoriano appellantur *Reſponſoria*. Idemque Gregorius Magnus eorum Auctor fuit, *ex Durand. ſupra*.

Graduale lamentum indicat, & laborem, quę non congruunt cum tempore ſummæ lętitię Paſchalis; ideoque hoc tempore omittitur. Nec obſtat quod Graduale dicatur a die Paſchę uſque ad Sabbatum in Albis excluſivè; tunc enim dicitur pro renatis fonte Baptiſmatis, ut intelligant, & diſcant, quod in vocatione, qua vocati ſunt laborare, & continuò ſe ſe exercere debeant *Rupert. Abbas lib.* 8. *cap.* 1. Advertendum tamen, quod ſi infra Octavam Paſchæ cantaretur aliqua Miſſa Votiva Solemnis pro re gravi, in ea dicendum non eſſet *Graduale*, ſed loco illius duo verſus tali Miſſę convenientes cum quatuor *Alleluja*, Biſſus *lit. G. n.* 54. §. 2. Debet autem præfatum Graduale a Cantoribus celerius, ſeu tardius cani, ut reſpectivè ad functiones Diaconi commenſuretur; Canitur enim, *ut ait Bellarminus*, in Miſſa Solemni, ne in ſilentio vacet totum illud tempus antequam cantetur Evangelium.

Gradus Altarium veſtiri poterunt tapetibus, & pręſertim ſuppedaneum illud, quod proximum eſt Altari ſuper omnes gradus. Miſſa verò incipienda eſt poſt infimum Altaris gradum; non ſupra gradus, ut docet *Gavant.* ſed in plano

Cap-

Cappellæ ad umilitatem coram Deo magis indicandam.

H A

HAnc igitur Oblationem, eſt Oratio, quam *Alcuinus* Gelaſio, *Radulphus prop.* 23. Leoni Magno tribuit uſque ad ea; *Placatus accipias*; reliqua verò uſque ad *quam oblationem* excluſivè addita fuere a S. Gregorio, ut communiter tradunt Auctores, occaſione peſtis Romanæ, & bellorum. In hac autem Oratione petimus primò, ut Oblationem noſtram Deus placatus accipiat, ſecundò, ut dies noſtros in ſua pace diſponat, tertio, ut ab ęterna damnatione nos eruat, quartò ut in electorum grege nos numeret; *Bellarm. lib.* 2. *de Miſſa cap.* 2. Cum Sacerdos incipit, *Hanc igitur*, expandit manus ſimul ſuper Oblata, ſed ne disjungat pollices, ſolummodò autem manus aperiat ex parte inferiori ſuper Oblata, ita ut digitorum extremitates perveniant ad medium circiter Pallę, non tamen illam tangant, pollice dextero poſito ſuper ſiniſtrum in modum Crucis, ſupra manus, non vero infra manus, *ex Decr. S. R. C.* 4. *Aug.* 1663. Et cum dicit, *Per Chriſtum &c.* jungit manus, ſed ita, ut non eas disjungat, ſed ſolum claudat, & retrahat ad ſe ante pectus, *Tonellius*, *Biſſus &c.*

Hoſtia, ſic dicitur, quia eſt materia ad Sacrificium, & Hoſtiam. Panis eſt, quia Chriſtus dedit ſe uti Panem vivum, *Joan.* 6. ſine fermento, ideſt ſine peccato, & ex prima inſtitutione in Azymis, *Gemma lib.* 1. *cap.* 31. Sacerdos accepturus Hoſtiam in manibus, ut eam conſecret, dum dicit ſecretò, *Qui pridie quam pateretur*,

extergit pollices, & indices ad majorem reverentiam ſuper Corporale, non autem in medio, ubi poſtmodum Hoſtia conſecrata collocanda erit, ſed in ejus extremitatibus; *Tonellius*, *& Biſſus*. Et dum dicit, *Accepit panem*, pollice, & indice dexterę manus accipit Hoſtiam in parte ejuſdem inferiore, *Gervaſ.* quod ut facilius præſtet, juvabit oram Hoſtię premere indice ſiniſtrę manus, ut advertunt multi: Et dum dicit *in Sanctas, ac Venerabiles manus ſuas*, etiam accipit Hoſtiam pollice, & indice ſiniſtræ manus; ſicque eam erectam non quaſi jacentem ambabus manibus tenet non elevatam, ne a Populo ante Conſecrationem adoretur. Poſtmodum ſervet eà, quæ in Rubrica *de Canone Miſſę n. 4.* apertiſſimè præſcribuntur. Si autem adſit Vas cum Particulis conſecrandis, antequam accipiat Hoſtiam, imò antè digitorum abſterſionem, ipſum Vas, ſeu Pyxidem retrahat ad latus Calicis verſus cornu Epiſtolę; & diſcooperiat, ut ſuper ipſas quoque Particulas propius verba proferat Conſecrationis, *Gavant.* Et facta Elevatione, & depoſita Hoſtia ſuper Corporale, prędictam Pyxidem cooperiat, atque iterum collocet retrò Calicem. Quod ſi Particulę conſecrandę ſint ſuper Corporale, ibi relinquuntur ſuper Aram, ad cornu Evangelii, ut erant. *Quarti part. 2. tit. 8. Rubr. 5. n. 4.*

Notandum, quod genuflexio, quæ fit poſt Conſecrationem tam Hoſtiæ, quam Calicis, nec non ea, quę fit ante ſumptionem Sacramenti, debet fieri cum majori reverentia, & ideò cum aliqua morula, *Biſſus lit. S. n. 20. §. 56. & Bauldry part. 3. cap. 5. n. 6.*

No-

* Notandum item, quod qui utuntur perſpicillis, ipſa non adhibeant, ſi poſſunt, a Conſecratione, uſque ad peractam Communionem: quod ſi iis neceſſario uti debent, capiant ea inter indicem, & medios digitos, & numquam ſuper Corporale ea deponant. *Bauldry ſupra*.

* Cum Sacerdos Hoſtiam frangere debet, eam pollice, & indice dexterę manus apprehendit in parte ipſius Hoſtiæ dextera, prę̨mente oram ſiniſtrę partis indice manus ſiniſtrę; & ſic ſola dextera elevat Hoſtiam ſuper Calicem, & poſtea adhibet etiam ſiniſtram; & ſic pollicibus, & indicibus utriuſque manus Hoſtiam ſuper Calicem tenens, frangit eam reverenter per rectam lineam (non unico ictu) diligenter, & attentè, ne dividatur in fragmenta; incipiens a ſuperiori parte illius ſicut ſignum Crucis incipit fieri ab eadem parte ſuperiori, & frangit in partes ęquales quantum fieri poteſt; mediam deindè partem, quam pollice, & indice manus dexteræ tenet, collocat ſuper Patenam: De alia verò parte, quam manu ſiniſtra tenet adhuc ſuper Calicem, pręripere debet particulam pollice, & indice manus dexterę ex parte inferiori, juxtà ſententiam *Gavanti* confirmatam Decreto S. R. C. 4. *Auguſti* 1663., exhibendo poſtea omnia, quę pręſcribit Rubrica, *Tit.* 10. *n.* 2. Sacerdos, dicto *Panem Cęleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo*, accipit Hoſtiam de Patena indice, & pollice dexterę manus, adjuvante pollice, & indice ſiniſtrę, & collocat inter pollicem, & indicem ejuſdem ſiniſtrę, non collocando totaliter unam partem ſuper aliam, ſed ita, ut ambæ partes Hoſtię forment figuram ro-

rotundam ; deinde eis ſupponit Patenam inter indicem, & medium ejuſdem ſiniſtrę manus apprehenſam : cavere tamen debet, ne manus ipſa Corporale tangat, ſed ea elevata quatuor circiter digitis a Corporali, ſuſtineat Patenam, brachium nullatenus, aut cubitum collocando ſuper Altare, ut communiter docent Auctores: Et parum inclinatus dexterà, non disjunctis pollice, & indice, ſed ſolum tribus aliis digitis percutit ſibi pectus, dicens *Domine non ſum dignus &c.* ut diſponit *Rubrica ſupra n.* 4. *& Ordo Miſſę*. Tenetur Sacerdos Hoſtiam ſumere, *ex Canon.* 8. *Apoſt.* & *lib.* 8. *Conſt. Apoſt. cap.* 20. quia eſt Sacrificium, ut ait *S. Thom.* 3. *part. quęſt.* 82. *art.* 4. Unam igitur Hoſtiæ partem alteri ſuperimponens, ut commodè os ingrediatur, erectus ſignat ſe manu dextera ſigno Crucis cum eadem Hoſtia, tenens Patenam manu ſiniſtra ut prius propè Corporale, dicens, *Corpus Domini &c.* & ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis, ambas ſimul Hoſtię partes reverenter ſumit ſuppoſita Patena ; eaſque ſuper linguam moderatè mollificatas, intactas, ſi poterit, deglutiet. Igitur caveat, ne indecenter dentibus comminuat Sacroſanctam Hoſtiam, quod pariter ab iis, qui communicant obſervetur; *Angel. part.* 3. Quod ſi palato, vel dentibus adhęreat fragmentum aliquod, tunc lingua, non verò digito indè revellat, & ubi facilè non poſſit, ſumat Sanguinem, & ablutionibus deglutiat ; *Quarti part.* 2. *tit.* 10. *dub.* 4. *& Biſſus lit. H. num.* 74.

Hoſtię fragmenta quomodo colligenda ſint. *V. Fragmenta.*

* Si Hoſtia ante Conſecrationem inveniatur fracta, ſi

§ Conſecrata dilabatur in Calicem, aut in terram quid agendum ſit, vide Rubricam de defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus *num.* 9. 10. & 15.

* Quando conſecrandę ſunt plures Particulę pro Communione Fidelium, ſi hę paucę ſint, uti quinque, vel ſex, debent poni ſupra Patenam, & ſubtus Hoſtiam, ad offerendas illas cum Hoſtia ſimul, & poſt Oblationem ponantur ſupra Corporale ſeparatę ab Hoſtia, ita tamen, ut remaneant ſupra petram Sacram, & ex parte ſiniſtra Celebrantis, juxta communem uſum, ſed ante Calicem, *juxta Rubricam*. Si autem prędictę Particulę ob quantitatem ſuper Patenam manere non poſſint, Sacerdos dum aptat Calicem initio Miſſę, eas locat ſuper Corporale a parte Evangelii, ut mox dictum eſt, neque moventur umquam aut ad Oblationem, aut ad Conſecrationem, *Cęrem. Miſſę priv. cap. 12. de Conſecr. Particularum, & de Commun. Fidel.* §. 1. Si autem ſint in Vaſe aliquo, ſeu Pyxide, palla, aut proprio operculo cooperta, tunc Pyxis prędicta collocanda eſt poſt Calicem, ita ut ſit inter ipſum Calicem, & tabellam Secretarum: tempore deinde Oblationis immediatè antequam amoveatur palla a Patena pro offerenda Hoſtia, Sacerdos diſcooperiat Pyxidem, ſeu aliud Vas Particularum, ad offerendum illas ſimul cum Hoſtia, abſque eo quod moveatur dicta Pyxis a ſuo loco; *Gavant. Bauldry, Biſſus*, & *Cęrem. Miſ. priv. ſupr.* Depoſita autem Hoſtia ſuper Corporale, & Patena, prædictum Vas cooperiat, quod iterum diſcooperire debet paulo ante Conſecrationem, ut ſupra innuimus.

Si

* Si offerantur Particulæ conſecrandæ ad' Altare poſt Oblationem, poterunt ex gravi cauſa conſecrari (puta pro Communione Infirmorum) facta prius Oblatione earum mente tantum; ſed non ſufficere pro hac Oblatione mentali commoditatem communicare volentium docet *Paſqualigus de Sacrif. novæ Leg. quęſt.* 30. *&* 35. ubi tamen *num.* 6. *&* 10. dicit eſſe ſolum peccatum veniale, ſi ante inceptum Canonem offerantur: Poſt Canonem verò inceptum, non poſſunt admitti etiam ad dandum Viaticum: tunc enim ſatius eſt conſervare partem Hoſtię majoris, *Tonell. lib.* 2. *tit.* 7.

Hoſtię conſecratę in Pyxide clauſa ſuper Corporali exiſtente valide ſunt conſecratę, *ex S. Tom. Bonac. & Layman*, etiam ſi ex oblivione Pyxis non aperiatur tempore Conſecrationis, *Suarez diſp.* 34. *ſect.* 5.

* In caſu dubio conſecratę Hoſtiæ, quę reperitur aut circa Altare, ubi proximè fuit celebratum; aut ſi parti poſteriori Patenę Particula aliqua hęreat ita fixa, ut ſubeat ſuſpicio, de conſecratis in pręcedenti Miſſa Particulis, eam unam eſſe poſſe, nulla in hiſce caſibus ſolemnitas eſt adhibenda luminarium, & ejuſmodi, ſed adoranda erit ſub conditione, reſervanda in Tabernaculo, ſeu intrà Corporale, & ſumenda a Sacerdote ante Calicis ablutionem in proxima Miſſa; quod ſi forte ſit deturpata, ut nauſeam moveat, ſervetur in Tabernaculo loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ deindè mittantur in Sacrarium; quod pariter faciendum eſt ſi aliquid venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, *ex Rubrica*.

Eu-

* Euchariſtia, quæ ex vetuſtiſſima conſuetudine propter Infirmorum, & Fidelium omnium Communionem in Arcula, ſeu Pyxide aſſervatur, mutanda eſt de ſeptimo, in ſeptimum diem *ex Synod. Turon. 4. cap. 4.*
* Si poſt peractam Fidelium Communionem intra Miſſam remanſerint aliquæ Particulę ſive ſuper Corporale, ſive ſuper Patenam, ſive in Pyxide, & non adſit Cuſtodia, ſeu Tabernaculum, in quo Pyxis reponi poſſit, tunc ſine alia genuflexione, illas reverenter Celebrans abſumit, & poſtmodum purificat Pyxidem, ut dicemus ad verbum, *Pyxis*.

I

JEjunium Naturale ad Miſſę Celebrationem, ſeu Communionem ex pręcepto Eccleſię ab Apoſtolis derivato ſervandum quando ſolvatur, quando verò non, *Vide Rubricam de defectibus diſpoſitionis Corporis*. Quando autem liceat Sacerdoti non jejuno Euchariſtiam ſumere, vel Miſſam ab alio inceptam explere; *Vide Rubricam de Defectu intentionis num.* 2. & 3. ac præterea *Rubricam de defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus num.* 3.

Jejunium Quadrageſimale, Quatuor Temporum, Vigiliarum &c. *Vide ſuis locis*.

Incenſatio Altaris, Oblatorum, Chori, Magiſtratus &c. *V. Miſſa Solemnis*.

Incenſatio SS. Sacramenti quomodo, & ſuper quo gradu Altaris facienda ſit *V. Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti*.

Inclinatio triplex eſt: Profunda, ſcilicet, Media, & Infima. Inclinatio profunda fit capitis, atque humerorum profunda incurvatione, eamque facit

Sa-

Sacerdos, quoties in Rubricis preſcribitur profundè eſſe inclinandum; veluti, dum Altari, in quo celebraturus eſt [ſi in eo non aſſervetur SS. Sacramentum], aut Prelatis in Rubrica ſpecificatis exhibet reverentiam; & dum dicit *Confiteor*, *Munda cor meum &c.*, *Te igitur Clem. Pater &c. Supplices te rogamus &c.*

Inclinatio media dicitur illa, que fit capitis, & modica humerorum inclinatione, quoties in Rubricis abſolutè eſſe inclinandum præſcribitur, velut ad ℣. *Deus tu converſus &c.* uſque ad *Aufer a nobis* excluſivè; item cum dicit *Oramus te Domine &c.*, *In ſpiritu humilitatis &c. Suſcipe Sancta Trinitas &c. Sanctus*, *Agnus Dei &c.*, & tres ſequentes Orationes ante Communionem, *Domine non ſum dignus &c.*, ac demum dum dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.*

Inclinatio infima eſt illa, que fit ſola capitis inclinatione; hec ſubdividi ſolet in tres alias claſſes, quarum prima vocatur *Minimarum maxima*, ſecunda, *Minimarum media*, tertia, *Minimarum minima*. Prima conſiſtit in capitis profunda inclinatione, que trahit ſecum modicam etiam humerorum inclinationem. Secunda comprehendit notabilem ſolius capitis inclinationem. Tertia fit levi capitis inclinatione. Primam ſibi vindicat nomen Jeſus, tranſitus ante Crucem Altaris, acceſſus ad eam, & receſſus ab ea, prolatio plurium verborum, in quibus proferendis preſcribitur a Rubricis inclinandum eſſe caput, ut ad *Gloria Patri &c.* & in Hymno Angelico ad *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, atque in Symbolo ad verba, *in Unum Deum*, *Jeſum Chriſtum* = *ſimul adoratur &c.* Secunda

fit

fit cum proferimus nomen Mariæ. Tertia denique fit cum proferimus nomina Sanctorum, & Papę viventis. Regulariter igitur ex dictis inclinationibus ſimplicibus prima correſpondet adorationi latrię, ſecunda adorationi hyperduliç, tertia cultui dulię. Hęc *ex Bauldry part.* 3. *cap.* 5. *n.* 1. *ex Vinitor, a Portu*, & aliis.

SS. Innocentium Feſtum non admittit Cantica lætitię, quia deſcenderunt in Limbum, *Microl. cap.* 36. & quamvis in Miſſa dicatur, *Credo*, (ratione Octavæ Nativitatis, & S. Joannis) non dicitur tamen *Gloria in excelſis*, niſi venerit in Dominica, aut niſi SS. Innocentes Martyres ſint Titulus, ſeu Patroni Eccleſię (non autem pręcisè alicujus Altaris, etiam majoris) cum enim ibi ſint Duplex primę claſſis, tunc etiam juxtà *Gavant. lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *n.* 7. *& Bauldry part.* 4. *cap.* 2. *n.* 37. nec non *Halden part.* 2. *tit.* 12. *n.* 28. fit Officium in Paramentis rubeis, , & dicetur *Te Deum*, ad Matutinum, & *Gloria in excelſis*, *Alleluja*, *Credo*, & *Ite Miſſa eſt*, ad Miſſam. Si autem in aliqua Eccleſia fuerit aliquod Corpus eorumdem Innocentium, vel inſignis Reliquia, in die Octava dicetur *Credo*, ſed in die Feſto fiet Officium in paramentis violaceis, niſi aliter a majoribus ordinetur, aut niſi ſit alia laudabilis conſuetudo cum concurſu Populi, quia tunc videtur conveniens, ut fiat Officium in paramentis rubeis cum Canticis, & ſignis lætitię ut ſupra. *Bauldry part.* 4. *cap.* 2. *n.* 38.

In die autem Octava hujus Feſti, ubicumque, aut quocumque die celebretur fit Officium in paramentis rubeis, dicitur *Te deum*, & in Miſſa

Gloria in excelſis, *Alleluja*, & *Ite Miſſa eſt*; & ratio eſt, *ut ait Gavant.* quia dies Octava Beatitudinem Cęleſtis Patriæ ſignificat, a qua omnis abeſt luctus, ac lacrymę. Non dicitur tamen *Credo* in die hujus Octavę, niſi hæc venerit in Dominica.

Intentio neceſſaria ad Conſecrandum in Miſſa quomodo intelligenda ſit, vide Rubricam *De defectu intentionis*, & Obſervationes in eamdem Rubricam a *Merato* traditas *part.* 3. *tit.* 7.

Introitus Miſſę ſic dicitur, vel quia introeunte Sacerdote ad Altare dicitur, qui paulò ante dixerat, *Introibo ad Altare Dei*, ita *Microl. de Eccl. obſerv. cap.* 1. vel quia ſit quaſi Proemium Miſſę, vel quia Populo introeunte Pſalmus cantabatur, *Rhenan. ad Tertull. de Corona Militis*. Componitur enim regulariter ex Pſalmo Davidis: dico regulariter, nam nonnulli habentur Introitus, qui non ex Pſalterio., ſed ex Prophetis, ſeu aliis Scripturę libris ſunt hauſti, & dicuntur irregulares, ut in Nativitate Domini, *Puer natus eſt nobis &c.* In Aſcenſione, *Viri Galilei &c.* Poſt Introitum olim integer Pſalmus, nunc unus ejuſdem Pſalmi verſiculus decantatur cum *Gloria Patri &c.* qui verſus ab antiquis Patribus Hymnus glorificationis dictus eſt, atque Introito additus fuit ex Inſtituto Damaſi Papę.

Ite Miſſa eſt dicitur quando in Miſſa dictus eſt Hymnus Angelicus. Per prædicta verba fiebat dimiſſio Populi in diebus Feſtivis, quando Populus Sacrificio intereſſe ſupponebatur. In Ferialibus autem omittebatur talis dimiſſio, quia tunc ſoli Eccleſiaſtici reperiri ſolebant, qui dimittendi non erant, cum ad Divina Officia per-

perſolvenda remanere deberent in Eccleſia. Hinc in prima noctis Nativitatis Dominicę Miſſa, *Ite Miſſa eſt* non dicebatur, quia Populus, qui ad Laudes audiendas remanere debebat, non dimittebatur ab Eccleſia, *ex Belebet cap.* 49. *Rational. Divin. Off.*. In Adventu Domini, Septuageſima, aliiſque diebus pęnitentiæ dicatis, locum non habet prędictus dimiſſionis uſus, cum Populi *ex Microl.* ſint potius detinendi in Divinis Benedictionibus. Et *Bellarm. lib.* 2. *de Miſſa cap.* 27. ait; videtur neſcio quid lugubre pręſeferre, quod non publica denunciatur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedit.

Judica me Deus, Pſalmus, qui initio Miſſę numquam omittitur, niſi in Miſſis Defunctorum, & tempore Paſſionis in Miſſis de tempore, quoniam, hoc tempore abſtinemus a verſu lętitię *Gloria Patri*, quo Pſalmus *Judica* concludi debet: Ideo Pſalmus totus omittitur, pręterquamquod lætitię quoque Pſalmus eſt, dum dicitur contrà triſtitiam, *Quare triſtis es anima mea &c.* At in his caſibus non eſt fuganda triſtitia, *Gavant. part.* 2. *tit.* 3. *n.* 6. Notandum tamen quod in Miſſis Votivis de Paſſione, & Cruce, etiam tempore Paſſionis dicitur Pſalmus *Judica* cum *Gloria Patri &c.* ex eodem *Gavanto*, quia non ſunt Miſſę de tempore, ſed Votivę. Idem docent *Biſſus tom.* 2. *lit. P. n.* 255. *Vinitor*, *Turrinus &c.*

K

Kyrię eleiſon, vox Gręca, quę Latinè ſonat *Domine Miſerere*, & invenitur in Liturgiis S. Jacobi, & S. Marci *Durand. lib.* 2. *cap.* 13. A Gręcis Silveſter ad Romanos eam tranſtulit; *Ra-*

dulph. prop. 23. Novies autem in Miſſa dici docet *Gregor. lib.* 7. *Epiſt.* 63. qui ſe dicit reſtituiſſe, non inſtituiſſe hunc Ritum cum alternatione partim a Sacerdote, partim a Populo, ſeu Miniſtro; nimirum ter *Kyrie*, ter *Chriſte*, & ter *Kyrie*. Dicitur autem, ut notat *S. Thom.* 3. *part. queſt.* 83. *art.* 4., ter *Kyrie* ad Patrem, ter *Chriſte* ad Filium, ter *Kyrie* ad Spiritum Sanctum.

L A

L*Avabo inter innocentes &c.* Pſalmus, quem recitat Sacerdos dum manus lavat, non movens ſe ab eodem Epiſtolę loco, ubi eſt, & dicit ſubmiſſa, & ſecreta voce, ita autem lentè verſus dicti Pſalmi proſequitur, ut totus Pſalmus ſit terminatus cum manuum abſterſionē: *Baludry part.* 3. *tit.* 7. *n.* 2. *Biſſus &c.* Et in fine prædicti Pſalmi dicitur *Gloria Patri &c.* & quidem in eodem cornu Epiſtolæ, non autem dum Sacerdos eſt in via redeundo ad medium Altaris, ex plurimorum Auctorum opinione, quę potius amplectenda videtur, nam inclinatio capitis, qualem exhibere debet Sacerdos verſus Crucem, dum dicit, *Gloria Patri &c.* fieri debet ſine motu locali perſonæ, ut docet *Diana part.* 10. *tract.* 3. *reſp.* 34. Omittitur autem prędictus verſus *Gloria Patri* in Miſſis Defunctorum, cum enim dicatur in ſignum lętitię, non habet locum in functionibus luctus: & advertendum quod loco *Gloria Patri* non eſt dicendum, *Requiem ęternam*, ut aliquos feciſſe refert *Bauldry part.* 3. *tit.* 7. *Rubr.* 6. *n.* 3. Prætermittitur item *Gloria Patri* in Miſſis de tempore a Dominica Paſſionis, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè, non

non autem in Miſſis Votivis etiam de Paſſione, & de Cruce eodem Paſſionis tempore celebratis.

Litania, Græca vox, quamvis, ut notat *Card. Bona cap.* 18. *Div. Pſalm.* ſignificet omnem ſeriam, & ardentem precationem, uſu tamen receptum eſt, ut Litanię nomen uſurpetur pro certa quadam Eccleſiaſticę ſupplicationis ſpecie, qua Dei miſericordiam, Sanctorumque patrocinium invocamus.

Litaniæ Majores in Feſto S. Marci; non ideo Majores dicuntur, ut putant nonnulli, quia S. Gregorius eas inſtituerit, cum ex ipſomet Sancto Pontifice habeatur, quod jam antea ab omnibus Litania major appellaretur hęc Proceſſio in Feſto S. Marci (ipſa enim multitudo cantantium, & procedentium Litania appellatur ab Ordine Romano) verùm ita dictæ ſunt, vel quia earum Proceſſio ex toto Clero tam Sęculari, quam Regulari, & ex magno Populi concurſu componebatur, vel potius ob longitudinem itineris, quia, ut colligitur ex Sacramentario Gregoriano a Pamelio edito, egrediebatur hęc Proceſſio ab Eccleſia S. Laurentii in Lucina, ubi recitata ſuper Populum Collecta, quę incipit, *Mentem Familię tuæ &c.*, procedebat ex Porta Flaminia ad Eccleſiam S. Valentini, quę nunc deleta eſt, in qua recitabatur alia Collecta, quę incipit, *Deus qui culpas &c.* deinde proſequebatur ſuum iter uſque ad Pontem *Olbi*, ſeu *Molbi*, quem Pamelius eumdem eſſe Pontem exiſtimat, qui olim *Molvius* dicebatur, ex quo Maxentius Imperator cum toto exercitu pręcipitatus periit. Hic pons a Latinis dicitur *Milvius*, ab Italis *Ponte Molle*. Denique per-

gebat Proceſſio uſque ad Crucem, & ad S. Petrum terminabat, in cujus Atrio recitabatur alia Collecta, quę incipit, *Adeſto Domine &c.*, & in Eccleſia Miſſa celebrabatur.

* Si Feſtum S. Marci occurrat in Dominica Reſurrectionis Domini, tunc juxtà Rubricam Miſſalis, & Decretum S. R. C. 25. *Sept.* 1627. Proceſſio, ac Litanię Majores, unà cum Miſſa Proceſſionis, ſeu Rogationum transferuntur in Feriam III. Paſchę ſequentem. Feſtum autem S. Marci tunc non transfertur, niſi quoad Officium celebrandum poſt Octavam Paſchæ. Si verò ſupradictum Feſtum S. Marci non in ipſa Dominica Paſchatis, ſed in alia quacumque die infra ejus Octavam occurrat, ſemper die illa ſit Proceſſio, & ſub ea dicitur Miſſa de Rogationibus cùm Prẹfatione Paſchali; *Communicantes*, *& Hanc igitur &c.* Paſchæ propria. In fine hujus Miſſæ dicitur, *Benedicamus Domino*: cui non additur *Alleluja*, quia duplex illud *Alleluja* eſt proprius Ritus Miſſæ Paſchalis, & ſummę lætitię. In ea Miſſa 2. Oratio *Concede*, 3. *Eccleſię*, vel pro Papa, *Halden*. Rurſus in eadem Miſſa Rogationum occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchatis, vel in qualibet Dominica, non eſt dicendum *Credo*, ex Decreto S. R. C. 25. *Sept.* 1688. & 5 *Jul.* 1698. quia iſta Miſſa habetur ut pura Miſſa Ferialis.

Litanię Minores ideſt Rogationes triduanę, quę fiunt tribus diebus prẹcedentibus Feſtum Aſcenſionis D. a S. Mamerto Epiſcopo Viennenſi inſtitutæ ſunt temporibus Valentiniani III Imperatoris Anno circiter 452. ut ſcribit *Ado* Epiſcopus pariter Viennenſis *in Chron.* Et licet prẹdictę

Li-

Litaniæ fuerint ante S. Mamertum, erant tamen prius repentes, vagę, ideſt non certis diebus indictę, atque infrequentes, quas deinde ob varias calamitates deſcriptas a SS. Avito, & Gregorio Turonenſi in Hiſtoria Francorum *lib.* 2. *cap.* 34. & pręſertim ob incurſionem Luporum in damnum graviſſimum Populorum, ſtatis prædictis tribus diebus Aſcenſionem antecedentibus cum jejunio celebrandas inſtituit S. Mamertus.

* Ritus autem, qui obſervandi ſunt Litaniis Majoribus, & Minoribus recitandis, vide in altera hujus Dictionarii parte ad verbum *Litaniæ*.

* Feria II. Rogationum eſt Feria major, unde licet non excludat Feſtum novem Lectionum in ea occurrens, etiam translatum, fieri tamen debet Commemoratio de ea Feria in Laudibus, ac Miſſa ante Commemorationem Feſti Simplicis, ſi etiam de eo facienda ſit, attamen poſt Commemorationem de die infra Octavam, ſi aliqua tunc occurrat. Rurſus in Miſſa ultimum ejus Ferię legitur Evangelium in quocumque Feſto etiam primæ Claſſis in ea occurrente. In Eccleſiis verò Cathedralibus, & Collegiatis occurrente in hac Feria aliquo Feſto Duplici, vel Semiduplici, dicuntur duę Miſſę Conventuales, una poſt Tertiam de Feſto ſine Commemoratione Feriæ, altera poſt Nonam, vel completa Proceſſione de Feria ſine Commemoratione Feſti in paramentis violaceis ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, cum Orationibus ut ſupra in Litaniis Majoribus, & Prętatione Paſchali. Et in fine utriuſque Miſſæ dicitur Evangelium S. Joannis. Congregationes, Religiones, & Nationes, ſeu Eccleſiæ,

 qui-

quibus a Sede Apoſtolica indultum eſt, ut ſemel, vel pluries ſingulis hebdomadis, aut menſibus dicant Officium, vel Miſſam, v. gr. de SS. Sacramento, aut certo aliquo Sancto, diebus nullo Feſto novem Lectionum impeditis, non poſſunt uti hoc ſuo privilegio in hac Feria quamtumvis nullum in eam incidat Feſtum Duplex, aut Semiduplex, *ex Decr. S. R. C.* 20. *Mart.* 1706.

* Si in Feria III. Rogationum occurrat Feſtum ſolummodò Simplex, tunc fit Officium de eo ſine Commemoratione de Feria currente, ſed tantum de Cruce. Miſſa verò dici poteſt vel de Feſto cum Commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum Commemoratione Feſti, & cum tertia Oratione *Concede*. In Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis in hujuſmodi Feſti Simplicis occurrentia cum Feria III. Rogationum, *ex Decr. S. R. C.* 5. *Jul.* 1698. unica cantanda eſt Miſſa Conventualis de Rogationibus cum Commemoratione de Feſto Simplici, & tertia Oratione *Concede*. Si denique nullum omninò in hac Feria III. occurrat Feſtum, tunc pariter Miſſa dicetur de Rogationibus ſine *Gloria* (licet in Officio dictum ſit *Te Deum*) & ſine *Credo*, ac ſine Commemoratione hodierni Officii Ferialis; unde ſecunda Oratio tunc non eſt de Feria occurrente (habente in Officio Orationem Dominicę) ſed erit *Concede*, tertia verò *Eccleſię*, vel pro Papa, ut ait *Gavant*.

* Feria IV. Rogationum occurrit Vigilia Aſcenſionis D. ſed *V. Vigilia*.

Ma-

MAnipulus, ab *Ord. Rom.* Mappula appellatur, & Sudarium ab *Amalar*, *& Alcuin.* eo enim ſudor abſtergebatur, os, nares &c. Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 24. §. 5. adſtruit, quod mappulę hujus, ſive ſudarii linei uſus duravit, donec in locum ejus Manipulus, non ad tergendos ſordes, ſed ad ornatum Sęculo decimo ſuffectus eſt, qui propterea ejus materiæ, & texturę eſt, ex qua Stola, & Planeta fieri ſolent.

Manipulus numquam adhibetur cum Pluviali: & Miniſtri Sacri Manipulos non accipiunt cum Celebrans eo non utitur, niſi cantaturi ſint Epiſtolam, aut Evangelium, ut in Benedictione Palmarum.

Manutergium deferre non debent Sacerdotes ſuper Calicem, tam eundo, quam redeundo ab Altari *S. R. C.* 1. *Sept.* 1703. nec etiam ſuper Altare poni debet ad manuum Sacerdotis lotionem, ſed ſibi ſuper brachium ſiniſtrum aptare illud debet Miniſter, *ex Caſtald. Prax. Cęrem. lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 1. *num.* 16. nihil enim, ut ipſe docet ſuper Altare ponendum eſt.

Mappę Altaris tres eſſe debent, & lineæ *ex Decr. Bonif. III.* duplicatam unam concedit Rubrica, ut ſint tres; non ergo duę tuta conſcientia ſufficiunt, *Gavant.* Ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictę eſſe debent, niſi neceſſitas aliud ſuadeat, *Sylveſter queſt.* 5. *Azor. lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 8.

Memento Domine famulorum &c. Secretò dicendum eſt, nil prorſus vocem elevando, ut ineptè aliqui faciunt. Dum autem Celebrans dicit illa verba *Memento &c.* elevat, & jungit manus,

(non

(non eas demittendo , ut Altare tangant antequam eleventur , *Gerv. cap. 8.*) juxtà Rubricam, non uſque ad oculos, ſed uſque ad mentum circiter, *Angel. part. 1. tit. 7. n. 64.* & *a Portu* , Sic junctis manibus ſtat paulisper in quiete . Hęc autem Commemoratio tam Vivorum , quàm Defunctorum non debet eſſe nimis brevis , ſed debet durare ſaltem per ſpatium unius *Pater noſter* (ut omnes communiter) demiſſo aliquantulum capite : Non ergo oculi elevandi ſunt verſus Crucem , ut multi faciunt , ſed verſus Hoſtiam ſuper Corporale poſitam defigendi , nec claudendi ſunt, *juxtà Gavantum*, niſi forte ad majorem animi compoſitionem. Nomina autem illorum , pro quibus orare intendit Sacerdos , ſi vult ſecretò commemoret ; ſed neceſſe non eſt ea exprimere , cum ſufficiat mente tantum eorum memoriam habere . Poteſt etiam Celebrans, ne circumſtantibus ſit moroſus , ante Miſſam in animo proponere ſibi omnes illos, pro quibus in ipſa Miſſa orare intendit ; *Rubrica*. Animadvertendum eſt autem, hanc privatam eſſe Orationem : & ideo in ea poteſt Sacerdos orare etiam pro Excommunicatis vitandis , Infidelibus &c. ut obſervat *Gavant. Tonell. & Quarti*.

Miniſter adeſſe debet ad Miſſę celebrationem , & ſine eo celebrandum non eſt extra caſus neceſſitatis , quales ſunt : quando dari debet Viaticum Infirmo , vel urget pręceptum de audiendo Sacro , ne Populus careat Miſſa : tunc enim Sacerdos ſibi reſpondere debet , ut ad *Orate Fratres* , (ſed dicat *Suſcipiat Dominus Sacrificium de manibus meis &c.*) & ad *Kyrie eleiſon*, vel pędicere Laico quę reſpondere debet , qui

Lai-

Laicus, ſi ob ignorantiam nullo modo reſpondere poſſit, ſaltem miniſtret ampullas. Fęmina verò ne ampullas quidem miniſtrare poteſt, cum id prohibeatur a Jure Canonico *lib.* 3. *Decretal. tit.* 2. his verbis: Prohibendum quoque eſt ut nulla Fęmina ad Altare pręſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare, aut intra Cancellos ſtare, ſive ſedere. Idem prohibetur pariter expreſsè in *part.* 3. *Rubric. Miſ. tit.* 10. *De def. in Min. ipſo occ.* unde omnis uſus in contrarium deteſtabilis abuſus eſt. Poſſet tamen Fęmina longè ab Altari reſpondere Sacerdoti, ut tenet *Alozz. in Alphabeto Morali verb.* Miſſa *ſect.* 3. *n.* 67. & communiter DD. Item miniſtrante Viro circà Altare, Monialis è Choro reſpondere poteſt, idque nullo jure prohibitum eſſe docet *Card. de Lugo de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 103.

Miſſa vox Latina eſt ex *Gavant.* cui plurimi adhęrent pręclariſſimi Viri. At è contra *Miſſam* eſſe Hębraicum nomen ex voce *Miſſah*, quę habetur in Deuteronomii *cap.* 16. & quę ſignificat Oblationem, ſuſtinent. *Baronius*, *Jo. Reuchinus*, *Claudius de Sainſtes*, *Genebrandus*, *Turrinus*, atque alii. A Gręcis autem numquam hęc vox *Miſſa* uſurpatur, ſed eam *Liturgiam*, ideſt Publicum Opus, vel *Hierurgiam*, nempe Sacrum Opus apud Ignatium, *Myſtagogiam*, hoc eſt ſummum Miniſterium apud *Nazianzenum*, vel *Proſphoram* ideſt Oblationem *Can.* 3. *Apoſt.* vocavere. A Latinis verò dicitur Miſſa, (& quidem ſemper ſine aſpiratione *Miſſah*) a Miſſione, tum precum Populi per Sacerdotem ad Deum, *Alcuin.* tum Chriſti, qui miſſus eſt a Patre ad nos, *Durand.* tum a Miſſione ejuſdem Chriſti

a nobis ad Deum ad placationem, ſolutionemque inimicitiarum inter Deum, & homines, *Rupert. Abbas lib. 2. de Div. Off. cap.* 20. Pręterea Evangelicę legis Sacrificium *Miſſa* nuncupatur ex Populi miſſione, ſeu dimiſſione. Miſſio autem in veteri Eccleſia duplex erat, una Sermone poſt Evangelium abſoluto, quando Cathecumeni dimittebantur a Diacono his verbis: *Si quis eſt Catechumenus exeat foras*. Reliqua item Sacrificii parte expedita, & Re Divina peracta, alia ſequebatur dimiſſio Populi, nimirum dimittebantur etiam Fideles baptizati ab eodem Diacono his verbis; *Ite Miſſa eſt*: & hęc Miſſa Fidelium vocabatur. Hinc obſervare debemus cum *P. Le Brun*, quod ob duplicem hanc dimiſſionem, circa Annum 500. nomen *Miſſa* in plurali uſurpatum fuit, ſcilicet *Miſſarum Solemnia*, ad ſignificandum etiam unum tantum Miſſę Sacrificium. S. Petrus, *ex Gavant. & aliis plurimis*, omnium primus Miſſę Ordinem pręſcripſit, S. Jacobus verò poſtea evulgavit.

Miſſam in Eccleſię primordio nonniſi Hębraicè ab Apoſtolis celebratam fuiſſe aſſerit *Jo. Eckius lib. 2. de Sacrif. Miſſę*. At *Card. Bona lib. 1. cap. 3. n. 4.* tradit Apoſtolos eo idiomate in ſingulis Regionibus uſos fuiſſe, quod tunc illis commune, & vernaculum erat; & ita Hieroſolymis *Chaldaica*, Antiochiæ, Alexandrię, & in aliis Græciæ Civitatibus *Gręca*, Romę verò, & in toto Occidente *Lingua Latina* celebraſſe cenſet: Idque eruditiſſimus Vir validiſſimis comprobat momentis. Certum eſt autem hodiernum Eccleſiaſticæ diſciplinę uſum obtinuiſſe, ut Miſſa nonniſi tribus Linguis, *Hębraica, Græca, & La-*

ti-

tina celebrari præcipiatur : Et quidem Sancta Mater Eccleſia , & in Liturgia Latina has tres Linguas tantum admiſcet , verba enim Græca ſunt *Kyrie eleiſon* Hębręa ſunt , *Alleluja* , *Amen*, *Sabaoth* , & *Oſanna* , reliqua verò Latina. Laudandus eſt igitur diſciplinæ Eccleſiaſticę uſus pręſcribens regulariter Liturgias non eſſe celebrandas niſi tribus pręfatis Linguis ; cum enim hę nobiliores ſint , & principales Linguę , ex quibus cęterę omnes tamquam rivi ex fontibus ſunt derivatæ , convenit Sacrificii Majeſtati , ut iis tantum .

Miſſæ applicatio non fit in Collectis, ſed in *Memento*, ubi Sacerdos valorem Miſſę illi applicat, pro quo Sacrificium offerre tenetur ; idcircò quando Miſſa de Sancto, aut de Feria celebratur pro Defunctis, neceſſe non eſt Collectas pro Defunctis adjungere .

Miſſa primis Eccleſię Sęculis quotidie non celebrabatur, ſed ſolis diebus Dominicis *ex Juſtino Mart. in Apolog.* 2. S. Epiphanius tamen , (ut refert *Martene tom.* 1. *de Ant. Eccl. ritib. lib.* 1. *art.* 3.) tradit tres in hebdomada dies ad Sacrum peragendum ſtatutos fuiſſe ab Apoſtolis, Dominicam, ſcilicet, & quartam, ſextamque Feriam. Hiſce deinde diebus Sabbatum adjecit S. Baſilius , *in Epiſt.* 289. *ad Cęſaream Patriciam* . Vertente verò ſęculo V. quotidie celebrandi uſum in præcipuis Eccleſiis viguiſſe tradit *Martene loc. ſupr.* Imo *Card. Bona lib.* 1. *cap.* 18. § 4. altius etiam a pręfato tempore repetit uſum quotidianę celebrationis : Andreas enim Apoſtolus , quotidie ſe Hoſtiam incruentam immolaſſe teſtatus eſt, ut referunt ejus acta a Presbyteris Achaje conſcripta

Præ-

Prǽterea non ſolum licita fuit olim quotidianę Miſſæ celebratio, ſed etiam pluries una die celebrare permiſſum fuit, ut tradit *Walfrid. Strabo lib. de Reb. Eccl. cap.* 25. idque ex fidelium Virorum relatione accepiſſe ſe adſtruit; qui etiam refert Leonem III. Pontificem novies aliquando eodem die Sacrificium celebraſſe. Alexander verò II. decrevit, ne plus quam una in die Miſſa ab uno Sacerdote celebraretur, ut legitur in Decreto Gratiani *de Conſecr. diſt.* 1. *Can.* 53. excepto die Nativitatis Domini; *ex Decr. Innoc. III.* Et hæc eſt praxis totius Eccleſiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, & communis Theologorum ſententia, a qua nemo poteſt recedere, quin reus evadat graviſſimi criminis.

Miſsâ inchoatâ, ſi veniat Epiſcopus, aut eo major, aut Princeps, neque alia Miſſa poſſit celebrari, poterit repeti Miſſa a capite, non autem ſi veniant Conſecratione jam facta, *Navarr. de Orat. notab.* 16. *n.* 55. & *Azor. lib.* 10. *cap.* 32. *queſt.* 3. Poſſevin. *de Off. Cur. cap.* 2. *num.* 11. addit, poſſe etiam ultrà primam vicem, ſi major cauſa ſuperveniat Miſſa iterum repeti a capite.

Miſſa item interrumpi, & diſcontinuari poteſt ob Concionem, & publicationes Edictorum, quę fiunt a Parochis: pręterea ad Confeſſionem audiendam Moribundi (cuſtodita, ſi opus eſt, interim ab alio Euchariſtia) vel ad ungendum Infirmum, cui nullum aliud Sacramentum miniſtrari poteſt. *Navar. de Hor. Can. cap.* 16. *Henriquez lib.* 9. *cap.* 30. *num.* 4.

Miſſa incæpta quando dimitti poſſit, *V. Rubr. De defect in Miniſt. occurrent. n.* 2. *&* 3.

Miſſa regulariter debet eſſe conformis Officio, prę-

ſer-

ſertim Miſſa Principalis, ſeu Conventualis, aliis quibus tamen diebus exceptis, ut infrà.

Miſſa Conventualis, quę Publica vocatur *ab Ord. Rom.* Canonica *a S. Gregorio*, Generalis *a Microl.* illa eſt, quam Rectores Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum quotidie celebrare facere tenentur Solemniter cum cantu poſt Tertiam, juxtà temporis conformitatem, & Officii recitationem. Occurrente Feſto novem Lectionum cum aliqua Feria majori, aut Vigilia in Cathedralibus, & Collegiatis duę cantandæ ſunt Miſſæ Conventuales, de Feſto poſt Tertiam, de Feria poſt Nonam. Occurrente autem aliqua ex Feriis prędictis infrà aliquam Octavam, unica cantanda eſt Conventualis de Feria cum commemoratione Octavæ, excepta Octava Corporis Chriſti, infra quam occurrente Vigilia cantandæ ſunt duę Miſsę una de Octava, altera de Vigilia. Inſuper, ſi in diem infrà Octavam, in qua ſimul cadit Vigilia, incidat Feſtum novem Lectionum, eo caſu duę Miſsæ Conventuales cantandæ ſunt, prima de Feſto cum Commemoratione Octavæ, ſed ſine Commemoratione Vigilię, altera verò de Vigilia cum aliis duabus Orationibus juxtà Rubricarum diſpoſitiones. In die autem Octava cum Feria, aut Vigilia occurrente, duæ pariter cantantur Miſsę Conventuales, de Octava, & de Vigilia.

Notandum, quod onus de duabus his Miſſis cantandis imponitur dumtaxat Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, quę ſunt propriè Canonicorum, non autem Eccleſiis Regularium, quæ *ab Innoc. IV. in Bulla* 7. Bullarii appellantur, ad differentiam illarum, propriè Conventuales.

Quan-

• Quando autem pro Conventuali dicenda ſit Miſſa de B. M. in Sabbato, & quando aliæ Votivę pro Conventuali dici poſsunt in Feriis *V. Rubricam de Miſſis Votivis n.* 1. 2. *&* 3. Quando demum pro Conventuali dici poſſit Miſsa Defunctorum, *V. Rubr. De Miſſis Def. n.* 1. *&* 2.

• In Feſtis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infrà Octavas Miſsa Conventualis cantatur poſt Tertiam, ea fortaſse ratione, *ait Amalar.* quia ea hora Chriſtus aſcendit in Crucem, *Marc. cap.* 15 hoc eſt linguis Judęorum clamantium, *Crucifige*; Et S. Caſſius Narnienſis Epiſcopus hac eadem hora celebrare conſuevit, laudatuſque de Cęlo fuit, *apud S. Gregorium in Dialogis*. In Profeſtis, ſcilicet in Feſtis Simplicibus, & Feriis per Annum cantatur Miſsa poſt Sextam; In Profeſtis enim neque lætitia, neque luctus, ſed quid medium videtur habere locum. Lętitia autem in Feſtis horam Tertiam requirit, luctus Nonam, ideoque in Feriis, & Vigiliis, quę Jejunantur, *ex Rubr. De hora Celebr. Miſſam num.* 2. Miſsa de tempore cantari debet poſt Nonam, quod ſervatur etiam in Feriis Adventus licet non jejunentur: Adventus enim ferè æquiparatur Quadrageſimę: *Hugo Vict. lib.* 4. *de ſpec. Miſſ. cap.* 4. *&* 9. & olim jejunabatur, *ex Durand. lib. 6. cap.* 1.

Miſsa Solemnis. Sacerdos celebraturus Miſsam Solemnem antequam diſcedat è Sacriſtia, medius inter Miniſtros Sacros paramentis pro opportunitate temporum indutos, facit cum illis Cruci, vel Imagini principali in eadem Sacriſtia exiſtenti profundam reverentiam, & quidem nudo capite etiam Celebrans, non enim defert

Ca-

Calicem , *Bauldry*, *Biſſus*, *&* *Hippolytus a Portu* . Primus autem omnium procedit è Sacriſtia Thuriferarius nudo capite portans Thuribulum fumigans, manu ſiniſtra illud tenens per manubrium , levique illud agitatione ducat : ſi adſit Navicularius procedat a ſiniſtris Thuriferarii Naviculam manu dextra deferens, ſiniſtra pectori admota, qui ſi non adſit, idem Thuriferarius Naviculam deferat manu ſiniſtra, ejus pede inter indicem, & pollicem arrepto ; dexterà enim Thuribulum per catenulas apprehenſum agitare debet, ut ſupra . Poſt prædictos ſeguuntur Acolyti , ſeu Ceroferarii portantes candelabra accenſa, ut dictum eſt ad verb. *Acolyti*. Cęremoniarius deinde poſt Ceroferarios incedere debet nudo capite, & manibus junctis , *Bauldry* . Poſteà Miniſtri Sacri unus poſt alium , manibus ante pectus junctis , tecto capite : Ultimus omnium Celebrans , capite cooperto, manibuſque pariter junctis ante pectus . Advertendum eſt , quod ſi Celebrans , & Miniſtri tranſeant ante , vel per Chorum , tunc debent nudo capite ſalutare omnes in Choro exiſtentes, qui etiam ſtantes nudo capite reſalutant cum profunda reverentia , exceptis Pręlatis, qui caput non detegunt , ſed ſtando capite cooperto conſalutant ; *Ex Cęrem. Epiſc. Bauldry*, *&* *Biſſo*. Et ſi Altare ita ſitum ſit, ut Celebrans ad illius medium non poſſit accedere , quin prius tranſeat per partem Evangelii, aut Epiſtolę v. gr. quando Sacriſtia eſt retro poſt Altare, tunc Miniſtri illius partis parum retrocedere debent , ut Celebranti tranſitum facilem prębeant, cui illi tunc ſe inclinant , *Bauldry* . Cumque Celebrans ad medium Altaris pervenerit , ſtant omnes ante

illius infimum gradum in recta linea, Celebrans ſcilicet in medio, Diaconus a dextris ejus, Thuriferarius a dextris Diaconi, & primus Ceroferarius a dextris Thuriferarii, Subdiaconus verò a ſiniſtris Celebrantis, & ſecundus Ceroferarius a ſiniſtris Subdiaconi; ſi autem ſit alter Acolytus cum Navicula, a ſiniſtris Subdiaconi, ita, ut Ceroferarii ſint ſemper omnium proſtremi, & omnes ſtent ęquali diſtantia a ſe invicem unius pedis ſpatio, aut circiter, quod ſemper obſervare debent. At ſi locus ſit anguſtior, Thuriferarius, & Navicularius ſtant poſt Celebrantem; Cęremoniarius verò ſtat in plano a latere Epiſtolę. Tum Celebrans caput detegens (quod idem faciunt Miniſtri Sacri) dat biretum Diacono, qui illud accipit cum quaſi oſculo illius, (a quo tamen quaſi oſculo abſtinendum eſt ſi Miſſa celebretur coram SS. Sacramento expoſito) & Cęremoniarius colligit a Diacono, & Subdiacono omnia bireta, & ea poſt factàm genuflexionem ponit ſuper ſcamnum deputatum ad ſedendum, numquam verò ſuper Altare, vel Credentiam. Omnes autem detectis capitibus genuflectunt ſuper infimum Altaris gradum, ſi ibi ſit Tabernaculum cum SS. Sacramento, alioquin ſolus Celebrans profundè ſe inclinat, aliis omnibus ſemper genuflectentibus, niſi Diaconus, & Subdiaconus ſint Canonici Cathedralis, tunc enim profundè tantum ſe inclinant ut Celebrans. Ceroferarii, facta genuflexione vadunt ad Credentiam, ſupra quam deponunt Candelabra in angulis anterioribus ejuſdem, ut commodius ea quando opus eſt reſumere poſſint; Sed advertat Ceroferarius, qui eſt a parte Evangelii, ut non genu-

nufleсtat ante medium Altaris, dum defert candelabrum ad Credentiam ; alius verò expectet eum in loco ſuo , ut ambo ſimul ad Credentiam procedant: Et ſi remaneant in Presbyterio genuflectere debent a lateribus Credentię , pariterque Thuriferarius prope cornu Epiſtolę, & Cęremoniarius in loco apto ad functionem ſuam, ſed ut plurimum ad partem Epiſtolæ genuflectit, nec ſurgunt, niſi quando Celebrans, & Miniſtri aſcendunt ad Altare ad faciendam Altaris incenſationem ante Introitum . Omnes pariter in Choro exiſtentes genuflexi debent manere prędicto tempore exceptis Cantoribus, qui Introitum actu cantant . Ex uſu tamen communiſſimo Sacrarum Baſilicarum Urbis , ac plurium etiam Eccleſiarum Collegiatarum , in quibus eſt ſchola aliqua Cantorum præcinentium *Introitum*. Canonici omnes, quamvis non ſint parati , omneſque alii de Choro in Eccleſiis non Collegiatis faciunt Confeſſionem bini , & bini , ut a Canonicis in Miſſa Pontificali , quo caſu non genuflectunt, ſed ſtant omnes , ut advertit *de Bralion* . Adnotandum eſt quod ſi adſit Epiſcopus in propria Diœceſi, licet non celebret, ſed tantum aſſiſtat Miſſę Solemni, Celebrans debet ad Confeſſionem reſpondere Epiſcopo uſque ad *Indulgentiam* incluſive, (& non ultrà) non verò ſimul cum illo dicere, *In nomine Patris*, ut ſancitum eſt a S. R. C. 4. *Aug.* 1663. Nomine autem Confeſſionis venit etiam Antiphona, & Pſalmus pręcedens formulam Confeſſionis, nempè *Confiteor*. Rurſus advertere debemus , quod Epiſcopus eſſe debet in loco ſuæ Juriſdictionis , neque præſens ſit ejus Metropolitanus, vel Patriarcha, vel Cardinalis , vel Legatus

Sedis Apoſtolicę . Pariterque requiritur in dicto Epiſcopo habitus certus v. g. vel Pluviale , & Mitra in Solemnioribus Feſtis , vel ſaltem Cappa Pontificalis in Feſtis minus Solemnibus . *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 9.

¶ Statim verò ac Celebrans incipit , *In nomine Patris* , cantatur *Introitus* in Choro , deinde *Kyrie* , ita *Cęrem. Epiſc. ſupra cap.* 8. Ideo Celebrans non debet expectare in Sacriſtia , donec dicatur *Kyrie* , ut procedat Altare , ſed ſemper inchoare debet Miſſam dum Cantores incipiunt *Introitum* . Cum autem Celebrans ſignat , & inclinat , omnes idem faciunt ; pręterquam ad ea , quę infra dicuntur , & pari voce reſpondent ad Pſalmum , & ad ea quę ſequuntur . Cum Celebrans dicit *Vobis fratres* , *& Vos fratres* aliquantulum ſe inclinat ad Miniſtros ſtantes , incipiens primò a parte Epiſtolę verſus Diaconum dum dicit *Vobis*, & poſtea verſus Subdiaconum dum dicit , *Fratres* ; Idem facit dicens *Miſereatur veſtri* . *Cęrem. Epiſc. & Bauldry* . Miniſtri verò dum dicunt *Miſereatur tui* , uſque ad finem profundè ſe inclinant verſus eum , dum dicunt *Confiteor* inclinant ſe Altari profundè , & dicentes *Tibi Pater* , *& Te Pater* , Celebranti . Facta autem Confeſſione , Celebrans cum Miniſtris inclinatus inclinatione media dicit , *Deus tu converſus &c.* junctis manibus ante pectus , & poſtea disjungens manus dicit *Oremus* adhuc inclinatus , deindè junctis iterum manibus aſcendit ad Altare ſubmiſſa voce dicendo , *Aufer a nobis &c.* ; Diaconus verò , & Subdiaconus , nulla tunc facta genuflexione , aſcendunt pariter cum Celebrante , & aſcendendo hinc inde albam , & veſtem anteriorem Celebranti ele-

vant

Digitized by Google

vant, Diaconus ſiniſtra, Subdiaconus verò dextera, & altera manu infrà pectus admota, quod in ſimilibus ſemper faciunt. *Lohner*, *& Bauldry*. Hoc modo comitantur Celebrantem ad Altare, ubi dum hic dicit Orationem *Oramus te Domine*, & oſculatur Altare, illi genuflectunt unico genu manibus junctis ante pectus, numquam tamen ſuper Altare poſitis, nec ipſum Altare tangentes, & ſtatim a genuflexione ſurgunt. Celebrans verò oſculato Altari, ſtans in medio illius, convertit faciem ſuam aliquantulum ad partem Epiſtolę, Subdiaconus ſtat a ſiniſtris Celebrantis, & facie verſa ad Altare; Diaconus verò ad dexteram ejuſdem Celebrantis; & Thuriferarius aſcendens per gradus laterales Epiſtolæ, accedit cum Thuribulo, & Navicula ad dexteram Diaconi; & Cęremoniarius denique ſit in ſuppedaneo poſt Thuriferarium. Diaconus igitur accipit manu dextera Naviculam ſemiapertam a Thuriferario ſine oſculis porrigente, & parum inclinatus Celebranti, eam tenet manu ſiniſtrà, accipiens interim dexterà manu choclear ex eà vacuum circa partem inferiorem manubrii, quod oſculatur in manubrii ſummitate, & tradit Celebranti, cujus manum dexteram in exteriori parte, non digitos, pariter oſculatur: deinde verſus eum inclinans dicit voce intelligibili, ſed non altà, *Benedicite Pater Reverende*. Tum Celebrans ſiniſtram tenens intra pectus poſitam, ter è Navicula thus ſumit dicto chocleari, & in Thuribulum immittit tribus locis diſtinctis, ſcilicet, in medio, a dextris, & a ſiniſtris, & interim Incenſum ipſum benedicit, dicens, quaſi cum eo loquens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis, Amen*. Verba au-

tem hęc ſic diſpenſare debet, ſcilicet, ut in prima thuris immiſſione, dicat, *Ab illo benedicaris*, in ſecunda, *in cujus honore*, in tertia, *cremaberis, Amen*; & ſtatim reddit Diacono choclear, qui ipſum recipit cum oſculis manus, & ipſius choclearis, & ſtatim illud reponit in Navicula, quam etiam claudit, *ex Bauldry*, & interim Sacerdos dextera manu ſignum Crucis producit ſuper Thuribulum nihil dicens. Mox Diaconus, reddita Navicula Thuriferario, ab eo Thuribulum clauſum accipit manu dextera, quod hoc modo porrigit Celebranti: Summitatem catenularum ponat in ſiniſtra Celebrantis, prius talem extremitatem oſculando; extremitatem verò catenularum propè vas, ponat in ejuſdem dextera, quam pariter oſculatur in parte exteriori. Advertendum eſt, quod Subdiaconus toto tempore, quo prædicto modo miniſtratur Incenſum, ſtare debet à ſiniſtris Celebrantis, ſed aliquantulum poſt eum, & facie ad Altare converſa; cum verò Celebrans, accepto Thuribulo, inchoat Incenſationem, deſcendit cum Diacono in ſecundo Altaris gradu prope ſuppedaneum, ut Planetę extremitatem elevatam ſuſtineant Celebranti dum totàm peragit Incenſationem, Diaconus nempè ſiniſtra manu, Subdiaconus dextera, altera infra pectus poſita. Thuriferarius autem, ac Cęremoniarius è ſuis locis inde deſcendentes, in planum ſe conferunt in cornu Epiſtolę (depoſita prius a Thuriferario Navicula) & converſi ambo ad cornu Evangelii, expectant ibi finem Thurificationis. Eodem tempore Navicularius, ſi aderit, vel Clericus ſerviens de Libro, vel ipſe Cęremoniarius, aut Thuriferarius, ac-

ce-

cedit per gradus laterales ad cornu Epiſtolę, ubi facta genuflexione Cruci, amovet cuſſinum cum Miſſale de Altari (dummodo adhuc non ſit ſuper Credentia) & iterum facta debita reverentia Cruci, deſcendit extra gradus, & ibi utrumque ſuſtinet ambabus manibus ante pectus facie verſa ad Altare, donec thurificatio menſę Altaris in eodem cornu Epiſtolę ſit completa; mox reponet dictum cuſſinum cum Miſſali, deinde genuflectet; & revertetur ad eumdem locum, ubi ſtabit iterum donec finita ſit totius Altaris thurificatio. Interim Celebrans ſiniſtram qua ſummitatem catenularum juxta manubrium complectitur admovens infra pectus, eamque immobilem tenens in tota incenſatione, dexterà verò eaſdem catenulas ſimul junctas propè operculum firmas tenens; vertit ſe ad Altare; & facta Cruci profunda inclinatione, etiamſi eſſet in ea verę Crucis particula, *Bauldry*, (Miniſtri verò genuflectentibus, niſi eſſent Canonici Cathedralis) ipſam Crucem ter incenſat ęquali ductu, & tantillum poſt unamquamque incenſationem quieſcens, nihil dicens, & poſtea Cruci iterum profundè inclinat, genuflectentibus Miniſtris, ut ſupra. Quod ſi adſit Tabernaculum SS. Sacramenti; Celebrans genuflectit ante, & poſt Crucis incenſationem, extremitatibus manuum ſuper Altare poſitis, ut facilius genuflectere, & ſurgere valeat, & quoties dum incenſat Altare tranſit ante illius medium; quod bis occurrit, nempè finita incenſatione planitiei Altaris in cornu Epiſtolæ, & frontis ejuſdem Altaris in cornu Evangelii. Incenſata igitur Cruce, (cui nullam facit Celebrans inclinationem ſi genuflectere de-

beat SS. Sacramento in Tabernaculo incluſo) incenſat Altare , incipiens a latere Epiſtolę , ter ducens Thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur candelabra , incipiens a parte proximiori Cruci , & progrediendo uſque ad terminum illius cornu Epiſtolę , & advertat has tres incenſationes eſſe faciendas , etiamſi non eſſent tria candelabra , ſed pauciora , vel plura : non enim incenſantur candelabra , ſed pars poſterior menſę Altaris . *Gavantus* , & alii communiter . Interim tot paſſus promovendi ſunt , quot Thuribuli tractus; quod ſemper faciendum erit juxta motum incenſationis, ut manus cum pede quantum fieri poteſt concordet . Facta autem tertia incenſatione in cornu Epiſtolæ, Celebrans inclinat ſe aliquantulum , & demiſſa manu cum Thuribulo, ſemel incenſat inferiorem partem lateralem Altaris , deindè ſuperiorem: Mox faciem ad medium Altaris vertens, incenſat in ſuperiori parte planitiem anteriorem Altaris circa oram, ducens Thuribulum obliqua linea, velut in ſemicirculum a dextrà ſua ad ſiniſtram, & æquali diſtantia terna vice , procedendo ad medium Altaris , tot paſſus faciens, ut dictum eſt, quot incenſationes; factaque in medio Cruci reverentia, ter incenſat planitiem poſteriorem a parte Evangelii prout diſtribuuntur candelabra , ut dictum eſt de parte Epiſtolę, deinde ſemel inferiorem, & ſemel etiam ſuperiorem partem lateralem Altaris in cornu Evangelii , deindè planitiem Altaris anteriorem ter ducens Thuribulum velut in ſemicirculum a ſiniſtra ſua ad dexteram progrediendo verſus medium Altaris , ubi non facit Cruci reverentiam, quia tunc non accedit uſque ad medium, ſed

fa-

facta triplici illa planitiei Altaris incenſatione, ſtatim retrogreditur ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulum demiſſa, incenſat partem Altaris anteriorem, ſeu frontem, ter ducens recta linea Thuribulum a cornu Evangelii, uſque ad medium Altaris, ubi profundè inclinat Cruci, & partem deinde anteriorem incenſat triplici ductu a medio uſque ad cornu Epiſtolę: ubi reddit utraque manu Thuribulum Diacono, qui ſtans in ſecundo gradu, ſupponendo manum ſuam, vel ambas dexteræ Celebrantis, quam oſculatur in parte exteriori, capit Thuribulum propè vas dexterà, & ſiniſtra manubrium, illud quoque oſculando. Tum deſcendit cum Subdiacono in planum a latere Epiſtolę abſque eo quod terga vertat Altari, & Celebrantem ſtantem junctis manibus ante pectus, ſiniſtro brachio quaſi tangentem frontem Altaris, incenſat triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & poſt, cui Celebrans nullatenus ſe inclinat. Subdiaconus verò ſemper erectus manet a ſiniſtris Diaconi in eodem plano, nullam faciendo reverentiam, *ex Gavant. & Bauldry*, quam tamen exhibere debet Cęremoniarius eo modo, quo Diaconus.

* Si in Altari fuerint Reliquię incluſę in capſulis, vel Imagines Sanctorum ſculptæ inter candelabra, & diverſę ab iis (*ex Bauldry*), quę aliquando in tabulis depinguntur, vel circa Tabernaculum diſponuntur: tunc incenſata Cruce, & facta eidem Cruci profunda reverentia, Celebrans antequam diſcedat è medio Altaris, ſi in medio ejuſdem Altaris ſit expoſita aliqua inſignis Reliquia, ut Caput, Brachium alicujus Sancti, immediatè poſt Crucem duplici ductu incenſari debet aſque

ulla

ulla inclinatione ob Crucis preſentiam , deindè Celebrans ſtans ibidem , primum incenſabit Reliquias , quę ſunt a parte Evangelii , incipiendo ab iis , quę ſunt Cruci proximiores ; bis tantummodo ducens Thuribulum ; quamvis plures , vel pauciores fuerint Reliquię , nec illis inclinabit ullo modo ante ; vel poſt thurificationem : Et facta deindè Cruci iterum profunda inclinatione ; ſimili Ritu incenſabit alias Reliquias a parte Epiſtolę , & abſque nova inclinatione procedat ad incenſandum Altare , ut ſupra . Terminata incenſatione , Celebrans in cornu Epiſtolę legit Introitum ipſe ſolus , aſſiſtentibus ; Diacono a dextris ejus in ſecundo gradu ; & Subdiacono a dextris ipſius Diaconi , qui poſtea dicunt cum Celebrante in eodem cornu alternatim *Kyrie* , quo dicto , ſi adhuc in Choro cantatur *Kyrie* ; Diaconus ſe collocet in ſecundo gradu a tergo Celebrantis , Subdiaconus a tergo Diaconi in plano , uterque ante cornu Epiſtolę ; & dum Celebrans dicturus *Gloria in excelſis* procedit per ſuppedaneum ad medium Altaris junctis manibus ; Diaconus per ſecundum gradum , & Subdiaconus per planum eodem tempore procedant ad Altaris medium perſiſtentes ibi in recta linea a tergo Celebrantis uſque dum cantato a Choro ultimo *Kyrie* intonaverit Celebrans *Gloria in exc.* Et dum inchoatur a Choro : *Et in terra pax* , & non prius , facta genuflexione in loco , ubi ſunt , aſcendunt ad Altare ; & Diaconus quidem aliquantulum in eodem ſecundo gradu Altaris recedit ad partem Epiſtolæ , ibique expectat Subdiaconum aſcendentem , & ſic ambo hinc inde æqualiter aſcendunt , quod faciunt etiam ad

Sym-

Symbolum , & quotieſcumque aſcendunt ad Altare , ut ſe collocent ad latera Celebrantis; *Bauldry* . Cumque eo pervenerint , non genuflectunt *ex Gavant. Bauldry* , & aliis ; ſed ſtantes ibi manibus junctis totum Hymnum recitant ſimul, potius ſubſequendo Celebrantem , qui voce altiori recitat . Si ſedendum ſit dum prædictus Hymnus a Choro decantatur, facta Cruci a Celebrante inclinatione , ſeu genuflexione, (ſi adſit Tabernaculum SS. Sacramenti) & a Miniſtris ſemper genuflexione , deſcendunt unus poſt alium per breviorem viam a latere Epiſtolę ad ſedem paratam in plano Cappellę : deſcendit nempè primus Subdiaconus , deindè Diaconus , & ultimò Celebrans, & caveant, ne in convertendo ſe , ut ſedeant terga vertant Altari. Celebrans autem ſedet Miniſtris ſuis poſteriorem Planetę partem elevantibus, ne ſedeat ſuper eam, & operit caput, Diacono ei porrigente biretum cum quaſi oſculo illius : Deindè ipſe Diaconus , & Subdiaconus , acceptis ſuis biretis profundè Celebranti inclinant , & aliquantiſper ſibi invicem , & ſedent Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis. Manus autem, dum ſedent, teneant tam Celebrans, quam Miniſtri ſuper genua expanſas , omnibus digitis ſimul junctis; & cum in Choro cantatur, *Adoramus* , *Gratias &c.* debent Celebrans, & Miniſtri caput diſcooperire, & inclinare : Et ſi ante eos ſedentes elevetur, vel deferatur Sacramentum, nudo capite genuflexi illud adorent , non autem quando ſunt in via de ſcamno ad Altare procedentes , *Bauldry part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *n.* 6. *& Riſſus* . Cum autem Cęremoniarius ſurgendum eſſe admonet circa finem

nem *Hymni Angelici* , ſurgunt Miniſtri, & deponunt ſuper ſcamnum ſua bireta , Diaconus verò accipit a Celebrante adhuc ſedente cum quaſi oſculo ſuum biretum, quod in loco ubi ſedebat deponit; & facta poſtea a Miniſtris inclinatione Celebranti , unus poſt alium longiori via per planum Cappellę ad Altare procedunt , advertens Diaconus, ut propè angulum gradus infimi Altaris ſe retrahat aliquantulum , ut tranſeunti Celebranti locum cedat , eique ſe inclinet , factaque in infimo gradu debita reverentia , Celebrans aſcendit ad Altare, Miniſtris interim elevantibus anteriores veſtes illius uſque ad gradum ſecundum , ad quem etiam Subdiaconus aſcendit , & iterum deſcendit in planum ; Diaconus verò ibidem remanet , ita ut ſtent in recta linea unus poſt alium , & uterque poſt Celebrantem . Cęremoniarius verò aſcendit per gradus laterales Epiſtolæ, & ſiſtit ſe in loco , ubi erat Diaconus ad Introitum , ut ubi advenienti Celebranti oſtendat Orationes dicendas . Cavere autem debent ne ſint in via dum in Choro cantantur illa verba *Jeſu Chriſte*, vel *Adoramus te*: ſed diligens Cęremoniarius advertat , ut anticipent, vel poſtponant , aliàs oporteret ſe ſiſtere, & inclinare. Completo autem totaliter *Hymno* a Choro, Celebrans oſculatur Altare, & vertit ſe , ut dicat *Dominus Vobiſcum* eo Ritu , ut dictum eſt ad verb. *Dominus Vobiſcum*. Miniſtri verò Sacri ſtant unus poſt alium nullatenus inclinantes dum ſe vertit Celebrans , ſed eo procedente ad cornu Epiſtolę, ut dicat Orationem , procedunt & ipſi , ſine ulla pręcedente genuflexione ad eamdem Altaris partem , Diaconus nempè per ſecun-

cundum gradum, Subdiaconus verò per planum, & ſiſtunt ſe a tergo Celebrantis unus poſt alium, & cum Celebrans, dicendo *Oremus*, caput Cruci inclinat, vel proferendo nomen Jeſus, aut Sancti, de quo Miſſa canitur, etiam Miniſtri inclinare debent, *Bauldry*.

Quo Ritu cantanda ſit Epiſtola a Subdiacono, & Evangelium a Diacono, quidve eo tempore Celebrans agere debeat, ſatis apertè *Rubrica 6. num. 4. & 5.* præſcribit. Notandum tamen quod Ceremoniarius, vel eo deficiente Acolytus tradere debet de Credentia librum Epiſtolarum Subdiacono, eumque comitari ad medium Altaris, ubi facta ſimul genuflexione poſt eum, ei a ſiniſtris aſſiſtit dum cantat Epiſtolam. Notandum etiam, quod Diaconus, qui Celebranti eamdem Epiſtolam ſubmiſſa voce legenti aſſiſtit in ſecundo gradu a dextris ipſius, ſtat manibus non junctis, ſed pectori decenter admotis, vel tenentibus librum, ſi opus eſt, vel vertentibus folia, numquam tamen ſuper Altare poſitis, *Lohner*, *Bauldry*, & *Biſſus*. Et poſtquam Celebrans finierit Epiſtolam, reſpondet ſubmiſſa voce, *Deo gratias*. Notandum item, quod Subdiaconus cantata Epiſtola redit ad Celebrantem per gradus laterales cornu Epiſtolæ, & genuflectit utroque genu ſuper eamdem partem lateralem ſuppedanei, cui Celebrans paululum converſus ad eum manum dexteram præbet deoſculandam, eademque illum benedicit nihil dicens, retenta ſiniſtra manu ſuper Altare. Diaconus interim, qui aſſiſtebat Celebranti a dexteris, paululum recedere debet, ut locum cedat Subdiacono genuflectenti, qui poſtea ſurgens tradit librum Cere-

mo-

moniario, vel alio, qui ſimul genuflexus erat paululum retrò ad ejus ſiniſtram, ut eum ad Credentiam deferat; & Subdiaconus interim Miſſale Colebrantis defert ad cornu Evangelii per planum, & non per gradus, ibique miniſtrat Celebranti dum legit Evangelium, ad ejus ſiniſtram, ſignans ſe cum illo, & reſpondens *Et cum ſpiritu tuo*, *Gloria &c.* & in fine *Laus tibi Chriſte*. Celebrans verò non oſculatur librum in fine, nec dicit *Per Evangelica dicta*. Notandum denique, quod Diaconus è Credentia librum ſibi a Cæremoniario traditum defert ſuper Altare procedendo per planum, & facta in infimo gradu in medio genuflexione; depoſitoque libro ſuper medium Altaris, ibi iterum genuflectit, & ſtatim accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ibique quaſi medium inter ipſum, & Subdiaconum, audit Evangelium manibus junctis, *Bauldry*. Quo finito idem Diaconus facta in medio genuflexione, tranſit per ſecundum gradum ad Cornu Epiſtolę, ubi Thuriferarius accedit, & miniſtratur Incenſum, ut ſupra dictum eſt; poſtea Diaconus reddita Navicula Thuriferario, genuflectit utroque genu ſuper ſuppedaneum, & inclinatus inclinatione profunda, dicit *Munda cor meum &c.*, quo dicto ſurgit, & accipit ambabus manibus librum Evangeliorum de Altari, deindè iterum genuflectit utroque genu ſuper ſuppedaneum in medio verſus Celebrantem ſtantem inter cornu Evangelii, & medium Altaris, & petit ab eo Benedictionem, dicens, *Jube Domne &c.* & oſculata ejus dextera, quam Celebrans data Benedictione, ponit ſuper Miſſale ab ipſo Diacono ambabus manibus ſuſtentatum, ſurgit,

&

& deſcendit in planum , ubi cum Subdiacono a ſiniſtris ejus, & Ceremoniario a ſiniſtris Subdiaconi, ac Thuriferario a tergo Diaconi medio inter Ceroferarios, omnes genufleƈtunt ſimul unico genu, & ſurgentes procedunt ad locum Evangelii, ordine quo in *Rubrica*.

Finito Evangelio, & incenſato Celebrante, ſi dicendum ſit *Symbolum* omnia ab ipſo Celebrante, & Miniſtris peraguntur, ut diƈtum eſt *de Hymno Angelico*. Notandum tamen, quod ſi Celebrans, & Miniſtri non ſedeant, dum cantatur *Symbolum* in Choro ad verſum *Et incarnatus eſt*, deſcendere debent ſuper ſecundum Altaris gradum, & genufleƈtere utroque genu ſuper ſuppedaneum cum profunda etiam inclinatione. Si autem ſedeant, non ſurgunt ad prędiƈtum verſum, ut genufleƈtant (niſi in die Nativitatis Domini, & Annunciationis B. M. etiamſi transferatur ejus Officium) ſed deteƈto capite profundè ſe inclinant, quod idem faciunt Canonici in Choro : alii autem omnes de Choro genufleƈtere debent. *Cerem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. Circa finem *Symboli* Celebrans, & Miniſtri ſurgunt, ſi ſedeant, & ad Altare redeunt ſicut ad *Hymnum Angelicum*; & dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, ſtant unus poſt alium, & diƈto *Oremus*, genufleƈtunt in locis ſuis; & mox Diaconus aſcendit ad dexteram Celebrantis dicentis interim Offertorium junƈtis manibus, & ſubmiſſa voce: Subdiaconus verò vadit ad Credentiam, ubi velum oblongum adjuvante Acolyto aliquo circum humeros accipit, & defert Calicem ad Altare, ut præſcribit *Rubrica* 7. *num.* 9. Quę autem a Celebrante, & Miniſtris peragenda ſint uſque ad Chori incenſatio-

tionem excluſivè, ſatis apertè habentur *ex Rubrica ſupra citata, num. 9. & 10.*

* Diaconus ergo incenſato Celebrante, ut diximus in prima incenſatione ante Introitum, accedit ad Chorum, (facta prius genuflexione quaſi ante medium Altaris a dextris Subdiaconi, *ex Bauldry, & praxi Eccleſiarum*) præcedente Thuriferario; quo cum pervenerit, genuflectit primò verſus Altare, deinde converſus, & ſtans in medio, ſalutat totum Chorum in gyrum, quem Diaconum omnes in Choro exiſtentes debita inclinatione, & detecto capite reſalutant, ſtantes, & urbanitatis gratia ſtallis non adhærendo. Deinde Diaconus inchoat ſuam incenſationem ab ea parte ubi major Dignitas reſidet, & ſi adſint Prælati, vel etiam Canonici, iis ex ea parte incenſatis, ad aliam partem immediatè tranſire debet, ut alios Canonicos incenſet, & deinde redeat ad primum Chorum ad incenſandos inferiores, Choriſtas ſcilicet, ſi adſint cum Pluvialibus, duplici ductu, deinde alios Manſionarios, & Cappellanos unico ductu. Nam *ex Decreto S. R. C. 10. Maii* 1607. Canonici omnes ex utraque parte Chori incenſandi ſunt, ante Manſionarios, non obſtante conſuetudine in contrarium. Illi qui ſunt incenſandi ante inter ſe mutuam inclinationem facere debent, *ex Cærem. Epiſc. lib. 1. cap.* 23.

* Clerici parati thurificandi ſunt ratione paramentorum ante Beneficiatos, & Beneficiati parati ante non paratos, *S. R. C.* 10. *Jun. & 30. Aug.* 1602. Canonici Aſſiſtentes Epiſcopo licet minus digni ante Dignitates, etiam ante Vicarium Generalem thurificandi ſunt. *S R. C.* 23. *Maii* 1603. *& 6. Mart.* 1610. Archidiaconus, qui tamen

Ba-

Baculum Epiſcopi thurificandus eſt poſt Diaconos Aſſiſtentes. *S. R. C.* 28. *Apr.* 1607. Sacerdos Aſſiſtens licet non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt ante Archidiaconum aſſiſtentem a dexteris, licet Archidiaconus ſit prima Dignitas *S. R. C.* 23. *Jun.* 1607. Conſuetudo immemorabilis, quod eodem tempore thurificentur Canonici, & Magiſtratus, ſervanda eſt *S. R. C.* 1. *Sept.* 1607. Gubernator Civitatis etiamſi ſit uxoratus, thurificandus eſt immediate poſt Canonicos Aſſiſtentes, abſente verò Epiſcopo, immediate poſt Vicarium Generalem. *S. R. C.* 17. *Nov.* 1607. Baro Dominus in Eccleſia Parochiali, ubi non ſunt Canonici, thurificandus eſt poſt Celebrantem, Miniſtros paratos, & Archipresbyterum. *S. R. C.* 17. *Sept.* 1608. Thurificatio, juxta regulas Ceremonialis debet fieri Celebranti triplici ductu, Dignitatibus, & Canonicis duplici; Ceteris de Choro unico ductu. Celebranti tamen coram Epiſcopo, debetur quidem ratione Paramentorum incenſatio precedenter ad incenſationem Epiſcopi, ſed Epiſcopus triplici ductu, Celebrans verò tunc duplici tantum thurificari debet, *ex Gavanto*; niſi tamen Celebrans ſit Abbas habens uſum Pontificalium, & Pontificaliter celebret, tunc enim non duplici tantum, ſed triplici ductu, non obſtante Epiſcopi preſentia, incenſari debet; & hoc colligitur *ex Decreto S. R. C.* 27. *Sept.* 1659. Si verò adeſſent Epiſcopi exteri, vel alii Prelati; honoris gratia ſemper thurificentur immediatè poſt Celebrantem triplici ductu, ſicut & triplici ductu incenſabitur ipſe Celebrans, *ex Cerem. Min. Obſerv. part.* 3. *cap.* 2. Proreges, & Gubernatores Regnorum,

P ac

ac Provinciarum, thurificantur triplici ductu poſt Celebrantem, qui etiam triplici ductu thurificari debet. *Domin. Flumara in Cęrem. Cler. Reg. part.* 2. *cap.* 3. Abſente Epiſcopo thurificandus eſt Celebrans triplici ductu *S. R. C.* 30. *Jan.* 1616. Vicario Generali ſedenti in Choro, licet ſupra Canonicos, thurificatio duplici ductu debetur, ſi tamen non ſit Prelatus. *S. R. C.* 14. *Jan.* 1617. Prior Collegiatę, ſi interſit in Cathedrali, thurificandus eſt duplici ductu, ſicut Dignitates, & Canonici, ſuper quos tamen non habet pręcedentiam *S. R. C.* 19. *Aug.* 1619.

* Diaconus igitur incenſato Choro, & aliis Perſonis, ſi quæ ſunt incenſandę, ſalutato Choro, ut prius præcedente Thuriferario, redit ad Altare per eamdem viam, qua venit in Chorum, & facta genuflexione Cruci, ſtans in parte Epiſtolę, Thuriferario verò retro ipſum ſtante, Subdiaconum incenſat duplici ductu cum mutuis inclinationibus ante, & poſt, qui dum incenſatur, convertit ſe verſus Diaconum, & aliquantulum Patenam velo obtectam demittit, & poſtea iterum elevat, *Biſſus, & Bauldry*. Incenſato autem Subdiacono, Diaconus reddit Thuribulum Thuriferario ſtanti aliquantulum retrò a dextris ſuis, & aſcendit ad ſolitum ſuum ſecundum gradum ante medium Altaris poſt Celebrantem, ubi facit genuflexionem, deindè ſtans verſa facie ad Thuriferarium, junctis manibus ante pectus, caputque inclinans ante, & poſt, thurificatur ab eodem duplici ductu, inclinante ſe Thuriferario pariter ipſi Diacono ante, & poſt thurificationem. *Biſſus, & Bauldry*.

Miniſtri Sacri ſtant ibi poſt Celebrantem in recta li-

linea dum ipſe cantat Præfationem, & paulo antequam Præfatio ipſa finiatur, aſcendunt ad latera Celebrantis, junctis manibus, prҿter Subdiaconum, & dicunt *Sanctus*: ad *Benedictus* ſe ſignant, excepto Subdiacono, quia Patenam ſuſtinet. Poſtea facta genuflexione ab iiſdem Miniſtris; Subdiaconus redit in planum poſt Celebrantem, ibique ſtat, & Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, quod facit ſemper, quoties de uno latere recedit ad aliud, ita ut ſemper genuflectat in receſſu, & acceſſu, non autem in medio. Ibi autem Celebranti miniſtrat, ſiniſtra librum ſuſtentans, dextera folia Miſſalis vertens, & indicans Celebranti, quҿ dicenda ſunt.

* Quid agendum ſit a Miniſtris a fine Præfationis uſque ad Orationem Dominicam: *Vide Rubricam VIII. de Can. Miſ. num.* 8. *& Rubr. IX. num.* 4. Notandum tamen, optimè prҿſcribi a Rubrica, quod circa finem Prҿfationis duo ſaltem Clerici accendant duo intortitia; nam in Feſtis Solemnioribus, & in majoribus Eccleſiis adhibentur etiam quatuor, ſex, vel octo intortitia, & conſequenter totidem Clerici, qui ea deferant requiruntur; iis igitur accenſis, vel in Sacriſtia, vel retro Altare, ubi Miſſa celebratur, procedunt qui ea deferunt ad Altare, prҿcedente Thuriferario cum Thuribulo; cumque ad medium Altaris pervenerint, ſalutant Chorum ex utraque parte, ſi ibi ſit ante Altare, advertentes ne terga Altari vertant. Deinde omnes diſpoſiti in recta linea, genuflexionem unico genu faciunt Altari in plano Cappellæ; mox ſurgunt, & ſibi ipſis mutuam capitis inclinationem faciunt, & genufle-

ſtunt deinde utroque genu poſt Subdiaconum in recta linea per tres, vel quatuor palmos ab infimo Altaris gradu juxta capacitatem Presbyterii, demiſſis in terram intortitiis. Thuriferarius autem accedens ad cornu Epiſtolę, genuflectit in plano, non ſuper infimum gradum; *a Portu part. 2. de Miſ. Solemn.* & paulò ante Conſecrationem ponit Incenſum in Thuribulo abſque Benedictione, & SS. Sacramentum poſtea incenſat triplici ductu prò unaquaque Elevatione, ſcilicet: primo incenſat unico ductu, & capitis inclinatione profunda ante, & poſt, quando Celebrans adorat Hoſtiam in prima genuflexione. Secundò incenſat altero ductu, quando elevatur Hoſtia, Denique incenſat tertio ductu, quando deponitur genu in adoratione Hoſtie collocatę ſuper Corporale, *Chriſtian. Gavant.& Lohner*: eodèmque modo Acolytus tintinnabulum ter pulſat. Idemque faciunt ad Calicis Elevationem. Acolyti cum intortiis, quando elevatur Hoſtia, debent ea elevare, extrema ſcilicet parte eorum pectori admota; quę ſic elevata ſuſtineant uſque ad depoſitionem Calicis incluſivè; quo depoſito ſurgunt, & facta utroque genu cum Thuriferario, (qui cum illis ad medium Altaris ſtatim accedere debet) genuflexione, redeunt ordine, quo venerant in Sacriſtiam.

* Dum dicitur a Celebrante Oratio Dominica, Diaconus, & Subdiaconus ſtant unus poſt alium retro Celebrantem. Sed quid a dictis Miniſtris agendum ſit uſque ad Celebrantis Communionem incluſivè: *Vide Rubr. X. num.* 8. Notandum ſolummodo, quod Subdiaconus, dicto *Agnus Dei*, & facta ibi ad ſiniſtram Celebrantis genuflexione

Sa-

Sacramento unico genu, redit retro Celebrantem, non deſcendens in ſuum locum in plano, ſed ſtans in ſecundo gradu Altaris, ut commodius a Diacono pacem recipere valeat: *Biſſus, & Nicol. de Bralion*. Diaconus verò, dicto *Agnus Dei*, ſtatim genuflectit utroque genu in ſuppedaneo a dexteris Celebrantis, & ſic remanet per totam primam Orationem *Domine Jeſu Chriſte, qui &c.* qua finita ſeſe erigit, & manibus ante pectus junctis, non autem ſuper Altare poſitis, illud oſculatur extrà Corporale, dum Celebrans manibus ſuper Corporale poſitis illud oſculatur in medio: Et Celebrans quidem nec ante, nec poſt oblatam Diacono pacem genuflectere debet Sacramento; quia Rubricę, & Auctores pręſcribunt genuflexionem ſolum quando Celebrans accedit, aut recedit a medio Altaris, in quo eſt SS. Sacramentum expoſitum. Sed oſculato Altari, Diaconum amplectitur, ita ut brachia bina, aut ſaltem manus ſuper humeros ejus deponat. Si tamen viget alicubi conſuetudo, ut qui dat pacem ſolum manum dexteram ſuper ſiniſtrum humerum accipientis, ſiniſtram verò ſub axillis ponat, poterit & illa retineri, *Lohner*. Diaconus autem ſupponit brachia ſua ſub brachiis Celebrantis, ſiniſtram genam, genę ſiniſtrę Celebrantis appropinquando, eique caput inclinat ante, & poſt amplexum. Et dum ita ſeſe amplectuntur, Celebrans dat pacem dicens: *Pax tecum*, & Diaconus reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*: quod & alii pręſtant pacem dantes, aut accipientes. Diaconus deinde, facta genuflexione in eodem ſuppedaneo, in quo pacem recepit, vertit ſe ad Subdiaconum per latus ſuum ſiniſtrum,

ne terga vertat Sacramento , eique ſimili Ritu pacem dat ; ſe non ſe inclinat , quia qui pacem defert , quicumque ſit , nulli quantumvis ſupremo Principi (etiamſi eſſet Imperator, vel Rex) reverentiam facit antequam ei pacem det , ſed ſolum poſt datam pacem . *Cęrem. Epiſc.* Subdiaconus tamen Diacono ſe inclinat, quia qui pacem accipit, plus , vel minus , pro qualitate perſonę inclinat ſe antequam pacem accipiat. Subdiaconus igitur, accepta pace , genufleċtit cum Cęremoniario, vel Acolyto , quo comite a ſiniſtris pacem defert in Chorum , quem in medio ſalutat ab utraque parte (prohibetur enim ſalutatio determinatę perſonę cui danda eſt pax, ſed non ſalutatio Chori , quæ profecto non eſt omittenda . *Biſſus lit. S. n.* 196. §. 20.) & ad digniorem de Choro accedens , dat illi pacem, ut ſupra ; & primo deindè cujuſque ordinis , *ut in Rubr.* advertens quod dum tranſit ex una parte Chori, ad alteram pro danda pace , Altari genufleċtere debet cum ſuo comite in medio unico genu ; & ſi tranſeat ante proprium Epiſcopum, ſimiliter genufleċtet ; niſi tamen eſſet Canonicus Cathedralis Eccleſię , quia tunc tantum profundè ſe inclinare debet . Si adſit aliquis ſupremus Princeps laicus, vel Prorex, aut Gubernator Provincię, vel Magiſtratus, modo ſit ex majoribus, & perpetuis , ab ipſo Subdiacono eis communicatur pax eodem prorſus modo, quo communicanda eſt omnibus de Clero, eodemque illis ordine defertur , quo fuerunt incenſati; ita ut ſi fuerint incenſati ante Clerum , ante illum etiam pacem recipiant : *Bralion ex Cęrem. Epiſc.* & ex praxi Cappellę Papę , *ut in Cęrem. Rom.*

Marc.

Marc. Corcyr. lib. 2. Si autem aliis laicis Nobilioribus, vel Magiſtratibus minoribus danda ſit pax, defertur per inſtrumentum pacis, ſeu tabellam argenteam, vel ex pretioſa alia materia confectam, in qua ſit imago Crucifixi, & non per Patenam vice tabellæ, quia prohibetur a S. Pio V. quam quidem tabellam Cęremoniarius, aut unus Acolytus accipit de Credentia cum velo coloris convenientis, quod ejus manubrio appenditur: & dum Diaconus genuflexus expectat pacem, ipſe pariter genuflexus poſt illum manet, & ſurgit poſtea cum ipſo Diacono, qui accepta pace a Celebrante, illam dat prius Subdiacono, ut dictum eſt, & deinde pacis Inſtrumentum ſibi a Cęremoniario, vel Acolyto oblatum oſculatur (tale enim inſtrumentum pacis oſculandum eſt vel a Celebrante, vel ab eo, qui immediatè ab eodem Celebrante pacem accepit, *ex Bauldry*, & *a Portu*) dicens *Pax tecum*; & Cęremoniarius, ſeu Acolytus reſpondet *Et cum ſpiritu tuo*. Qui deindè a ſiniſtris Subdiaconi incedens, defert ſecum dictum inſtrumentum, ut illud Subdiacono tradat quando laicis illud oſculandum daturus eſt; quibus nullam facit Subdiaconus reverentiam, niſi poſt deoſculationem: & ſingulis dicit, *Pax tecum*, & illi reſpondent: *Et cum ſpiritu tuo*. Bralion, Lohner, & a Portu *De Miſſ. Solemn. Rubr.* 8. *n.* 27. & *Bauldry*. Et notandum quod illi, qui accipiunt pacem per inſtrumentum non debent ſtare, ut omninò ſtare debent illi, qui per amplexum pacem accipiunt, ſed maneant genuflexi. *Turrinus part.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 2. Notandum item, quod ſi adſit Presbyter Aſſiſtens cum

Pluviali, hic eodem Ritu, quo Diaconus, recipit pacem a Celebrante, & eam ipſemet diſtribuit Clero; Et regulariter, *ex Gavant.* & *Graſſo,* dat illam prius Diacono, qui paululum ſe retrahit ab Altari, ut pacem recipiat, & immediatè poſt illam dat Subdiacono. Quod ſi adſit in Choro aliquis Prælatus, ei dictus Aſſiſtens pacem prius defert, illamque etiam diſtribuet in Choro antequam det ipſi Diacono, cui illam dabit reverſus ad Altare. *de Bralion.*

* Dum Celebrans ſumit ablutionem digitorum, Diaconus, qui adhuc eſt in cornu Evangelii defert Miſſale ad cornu Epiſtolę ambulans per ſecundum gradum: eodemque tempore Subdiaconus, redditis ampullis Acolyto, pergit ad cornu Evangelii per planum, cedens ſuperiorem gradum Diacono pariter cum libro tranſeunti, & genuflectendo in medio retro poſt Diaconum eodem tempore, quo hic genuflectit. Et Diaconus quidem poſito Miſſali aperto in cornu Epiſtolę, indicat digito Celebranti antiphonam quę dicitur *Communio*, & ibi manet aſſiſtens Celebranti a dexteris quouſque eam legerit, & deindè vadit retrò poſt Celebrantem ipſum in cornu Epiſtolę ſupra ſecundum gradum, & dicta antiphona a Choro decantata, procedit cum eodem per eumdem ſecundum gradum ad medium Altaris, ibique ſtat verſus Altare dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, & deindè redit poſt Celebrantem in cornu Epiſtolæ dum dicit Orationem, vel Orationes, ſi plures dicendę ſunt. Interim Subdiaconus in cornu Evangelii extergit Calicem purificatorio (non enim debet Celebrans poſt ſumptam ablutionem hoc præſtare, ſicut nec

Ca-

Calicem veſtire) quo cooperto de more , atque anteriori veli parte ſuper burſam revoluta, ibi eum relinquit Acolyto , qui ſtatim ad Credentiam defert; & ipſe Subdiaconus deſcendens in planum per viam breviorem, poſt Diaconum ſe ſiſtit, completiſque Orationibus, omnes ſimul procedunt ad medium Altaris, unuſquiſque ſcilicet per illum planum , in quo eſt , ubi Celebrans dicit more ſolito , *Dominus vobiſcum* , & Miniſtri genuflexione eodem tempore facta, recedunt aliquantulum è medio, Subdiaconus nempè verſus cornu Evangelii , ibique in plano , ſtat verſus Altare , Diaconus verò aliquantulum a parte Epiſtolæ , & dum reſpondetur a Choro, *Et cum ſpiritu tuo* , vertit ſe ad Popolum per latus ſuum ſiniſtrum , & junctis manibus ante pectus dicit : *Ite Miſſa eſt* , in tono competenti: Celebrans verò ſtat & ipſe junctis manibus verſus Populum in medio Altaris, ſed dicere non debet ſubmiſſa voce , *Ite Miſſa eſt* , Gavant. & alii . Tum Celebrans, & Diaconus ſimul vertunt ſe per latus Epiſtolę ad Altare, ibique dicto a Celebrante , *Placeat tibi &c.* Diaconus genuflectit utroque genu paululum ad cornu Epiſtolæ in ſecundo gradu , Subdiaconus ſimiliter aſcendens ad eumdem gradum , genuflectit ad cornu Evangelii in æquali diſtantia a Diacono in oppoſita parte . Tum Celebrans ſe vertens ad Populum eodem modo, & eadem voce, qua in Miſſis privatis , ſemel tantum benedicit Populo, & tunc omnes Miniſtri genuflexi, & alii omnes , dextera ſe ſignant a fronte , ad pectus, ſiniſtra infra pectus poſita. Si tamen Miniſtri Sacri ſint Canonici, profundè tantum ſe inclinant ;

&

& dum Benedictio datur, nihil debet cantari in Choro, ut Clerici ſint attenti ad Benedictionem. Subdiaconus poſt datam Benedictionem, accedit ſtatim ad cornu Evangelii, ubi capit tabellam, in qua eſt Evangelium S. Joannis (niſi aliud Evangelium dicendum ſit, tunc enim debet idem Subdiaconus librum deferre ad cornu Evangelii dum Celebrans dicit, *Placeat &c.*) & eam ſubſtinet ante Celebrantem, Diacono ſtante, quaſi medio inter eos manibus junctis, ita ut tamen ſit paulo poſt Celebrantem, ut ad primum Evangelium, qui cum omnibns aliis ſe ſignat, inclinat, & genuflectit ſicut Celebrans excepto Subdiacono tabellam, ſeu librum ſuſtinente: *ex Bauldry*. Reſponſo in fine a Subdiacono, *Deo gratias*, Celebrans, & Miniſtri redeunt quaſi ad medium Altaris, ſcilcet Diaconus ad cornu Epiſtolę, & Subdiaconus Evangelii, & Celebrans omninò ad medium, ubi ſe inclinant Cruci quaſi pares, & mox Celebrans, & Subdiaconus vertentes ſe per latus ſuum dexterum, Diaconus verò contrario modo per ſiniſtrum, in planum deſcendunt ad medium Altaris, ubi Miniſtri, acceptis biretis a Cęremoniario, Diaconus cum quaſi oſculo ſuum porrigit Celebranti, & tecto capite ſine alia reverentia redeunt in Sacriſtiam ordine, quo venerant, præcedentibus, ſcilicet, Thuriferario, & Ceroferariis, qui dum Celebrans, & Miniſtri deſcendunt de Altari, accedere debent cum Candelabris ad Altare, & collocare ſe in plano eo modo, quo initio Miſſę.

Miſſa Solemnis coram SS. Sacramento. Quamvis ex antiquorum documentis optimè moneamur, ut abſtineamus a Miſſa celebranda coram SS. Sacra-

cramento, nihilominus juſta interveniente cauſa, puta infra Octavam Corporis Chriſti, & in fine publicę Orationis Quadraginta Horarum, certum eſt talem Miſſam coram SS. Sacramento expoſito poſſe, & celebrari debere. Omiſſis igitur iis, quę ſunt communia cuicumque Miſſę Solemni, ſolum hic ea notare ſufficiat, quę pro hac Miſſa peculiaria ſunt. Cum igitur Celebrans, & Miniſtri Sacri Presbyterium, ſeu Cappellam, in qua expoſitum eſt SS. Sacramentum ingreſſi fuerint, caput ſtatim nudant, & bireta Cęremoniario tradunt: cumque ad Altare pervenerint, ante illius infimum gradum flectunt omnes utrumque genu in plana terra, addita capitis profunda inclinatione, quod ſolum fit cum primò ad Altare accedunt, & in fine, ut dicemus ſuo loco: nam in proceſſu deindè Miſſę genuflectunt unico tantum genu, ut facilius, & commodius ſurgant; & advertendum, quod faciendo genuflexionem unico genu, non debent caput inclinare, ut multi gratis faciunt, ſufficit enim genuflexio, *Biſſus lit, M. n.* 222. . Facta Confeſſione abſque ulla genuflexione aſcendunt ad Altare, ubi deinceps unicum genu flectunt, & Celebrans dicta Oratione, *Oramus te Domine &c.* imponit Incenſum in Thuribulo, ut dictum eſt ſupra in Miſſa Solemni, ſed ſine oſculis, Diaconus enim & Subdiaconus, & omnes alii nihil oſculantur quod Celebranti porrigunt ad Altare, neque etiam manum ejus in traditione rerum, ob apertam pręſentiam SS. Sacramenti: *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 33. Subdiaconus tamen genuflexus oſculatur manum Celebrantis poſt Epiſtolam, & Diaconus ante Evangelium; Item Patenam cum Hoſtia, &

ma-

manum Celebrantis, ſicut, & Calicem cum vino ante Oblationem; Item oſculatur Patenam, & manum Celebrantis dicentis Orationem, *Libera nos*, Cęrem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8. Undè fortè oſcula iſta prohibentur, quando fieri debet aliquid, quod ſpecialiter SS. Sacramentum expoſitum tantum reſpiciat, *Bauldry*. Advertat autem Celebrans, quod dum imponit Incenſum in hac Miſſa, non debet ſtare in medio Altaris, ſed aliquantulum verſus cornu Evangelii facie verſa ad cornu Epiſtolæ; Benedicitur autem Incenſum, quia thurificandum eſt, pręter Sacramentum, etiam Altare, & ipſemet Celebrans, *Cęrem. Epiſc.* Impoſito igitur, & benedicto Incenſo, Celebrans cum Miniſtris Sacris ſine ulla genuflexione deſcendit ad ſecundum gradum Altaris, cavens ne terga vertat SS. Sacramento, ubi genuflexus ſuper ſuppedaneum (ex praxi Baſilicarum Urbis, & ex pleriſque Auctoribus) & medius inter Miniſtros Sacros ibidem genuflexos, thuribulum accipit a Diacono ſine oſculis, & pręmiſſa cum Miniſtris profunda inclinatione, incenſat SS. Sacramentum triplici ductu, motu gravi, & brevi interpoſita morula inter unumquemque ductum: & facta iterum profunda inclinatione, Celebrans, & Miniſtri ſurgunt, & mox Celebrans habens præ manibus Thuribulum, accedit ad Altare, ubi facta genuflexione unico genu (etiam a Miniſtris ſtantibus in ſecundo gradu, & Planetę poſteriorem partem elevatam ſuſtinentibus) incenſat Altare more ſolito. (Crux enim, licet *ex Decr. S. R. C.* 4. *Maii* 1707. in hujuſmodi Miſſa coram SS. Sacramento expoſito ſuper Altare adeſſe debeat, incenſanda tamen non eſt, incenſato enim originali,

non

non eſt cur incenſetur ejuſdem Imago, & Figura, quod ſit ſolum Feria 6. in Paraſceve ratione ibi allata. Quoties autem Celebrans accedit ad medium Altaris, aut ab eodem medio recedit, vel tranſit ante illud, toties genuflectit, quod item faciunt Miniſtri omnes unico genu. Quoties item ſe convertit ad Populum dicturus *Dominus vob.* aut aliud ſimile, toties etiam genuflectit, oſculato prius Altari, deide ſurgit, & ſiſtit ſe renibus ad cornu Evangelii ſemiverſis, tum facta genuflexione iterum in medio, accedit ad cornu Epiſtolæ, vel remanet in medio Altaris; atque hoc eodem ritu dicit etiam *Orate Fratres*, non enim perficere debet circulum. Incenſaturus Oblata, Incenſum imponit, ut ſupra aliquantulum ſe retrahens verſus cornu Evangelii, ſed facta prius in medio genuflexione, quo impoſito, rediens in medium, iterum genuflectit, & poſtea accepto Thuribulo, incenſat Oblata more ſolito, deindè ſine alia genuflexione deſcendit ad ſecundum gradum, ut SS. Sacramentum incenſet genuflexus, & poſtea Altare, ut ſupra, quo incenſato, reddit Thuribulum Diacono ſine oſculis in cornu Epiſtolę, & deindè deſcendit per gradus laterales in plano, ubi convertit ſe ad Populum, advertens ne tergat vertat Sacramento, & incenſatur a Diacono ſtante contra ipſum cum Subdiacono a ſiniſtris, atque ibidem in plano manus lavabit, ut notat *Gavant.* quibus exterſis, redit ad Altare per eoſdem gradus laterales, ubi primò genuflectit in medio, deindè dicit de more *Suſcipe Sancta Trinitas*, & *Orate Fratres*, non perficiens circulum, ut ſupra innuimus; Reliqua autem peragit uſque

ad

ad Communionem, ut in aliis Miſſis; ſed ſumpta purificatione, genuflectit, & accepto Calice, quem a latere Epiſtolę extra Corporale poſt ſumptam purificationem poſuerat, capit ablutionem de more, non extra Altare, *Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *c.* 23. reverſuſque ad medium, genuflectit, ſumit ablutionem, & iterum genuflectens redit ad librum. Diaconus ad *Ite Miſſa eſt*, genuflectit ante, & poſt, ſe Populo ſemivertens, in cornu Epiſtolę, ut Celebrans in cornu Evangelii: Et dicto ab ipſo Diacono *Ite Miſſa eſt*, Celebrans genuflectit in medio, & dicit *Placeat tibi &c.*, deindè oſculatur Altare, & dicto *Benedicat vos Omnipotens Deus*, iterum genuflectit, & in latere Evangelii ſemiverſus ad Populum, benedicit eum non perficiens circulum, nec poſtea redit ad medium, ut genuflectat, ſed ſtatim ad idem latus Evangelii converſus ſignat librum, aut tabellam Evangelii, ſed nullo modo Altare, licet non ſuper Altare ipſum, ſed altius SS. Sacramentum ſit expoſitum: cumque dicit *Et Verbum Caro factum eſt*, aliquantulum verſus Sacramentum genuflectit, idemque faciunt Miniſtri aſſiſtentes, ut diximus ſupra in Miſſa Solemni. Finito autem Evangelio, redit cum Miniſtris ad medium Altaris, ubi genuflectit unico genu, & poſtea deſcendit in planum, ibique iterum cum Miniſtris flectit utrumque genu, & ſumptis biretis, redeunt ordine, quo venerant in Sacriſtiam non tegentes capita, niſi extra Presbyterium.

* In Miſſis privatis, quæ raro ibidem celebrari debent, eadem fiunt, quę in Miſſis Solemnibus, exceptis illis, quę iiſdem ſunt propria.

Ad-

Advertat autem Celebrans, ut ſemper, etiam in privatis, manus lavet extra gradus Altaris.

Miſſa privata quando celebratur coram Epiſcopo in propria Diœceſi, congruum eſt, ut Celebrans Epiſcopum præveniat, adeoque Sacris indutus Paramentis, & Calice ſuper Altare parato, ſe ſiſtat verſus Altare in cornu Epiſtolæ, & cum Epiſcopus advenerit, ipſum ſalutet profunda inclinatione, deindè aſcendat ad Altare per gradus laterales, ubi facta in medio de more Cruci inclinatione, deſcendit in planum per gradus laterales cornu Evangelii (nam *ex Cærem. Epiſc.* Miſſam audire debet Epiſcopus ſupra ſcabellum precatorium verſus medium Altaris, vel ex parte Epiſtolę poſitum, adeoque Celebrans, ne terga eidem Epiſcopo vertat, Miſſam ex parte Evangelii incipere debet), facta igitur Celebrans ex ea Evangelii parte profunda Cruci inclinatione, vel genuflexione, ſi adſit SS. Sacramentum in Tabernaculo, profundè etiam Epiſcopo ſe inclinet, & ſtatim erectus expectet ab Epiſcopo, aliquantulum ad eum converſus, ſignum incipiendi Miſſam, quo ſigno dato, iterum profundè ſe Epiſcopo inclinet, & converſus aliquantulum ad Altare more ſolito incipiat Miſſam. Ad *Confiteor*, ubi pervenit ad illa verba, *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, dicat, *Et tibi Pater*, & *te Pater* profundè Prælato ſe inclinans. Dicto autem *Oremus*, immediatè antequam aſcendat ad Altare, iterum verſus Prælatum profundè ſe inclinet, deinde aſcendat per laterales gradus, & omnia uſque ad Evangelium incluſive peragat, ut in aliis Miſſis. Dicto autem Evangelio non oſculatur librum, nec dicit, *Per Evangelica dicta*,

ſed

ſed ſtatim Miniſter [qui *ex Cęrem. Epiſc.* debet eſſe Cappellanus Epiſcopi ſuperpelliceo indutus] defert Miſſale apertum ad Pręlatum ſine genuflexione, ut initium Evangelii lecti oſculetur; & poſt oſculum, Miniſter claudit Miſſale, & tunc, & non prius Prælato genuflexionem facit unico genu: deinde Miſſale ad Altare reportat, ipſum aperiendo ubi erat apertum. Notandum, quod ſi ibi foret Pręlatus Dignior, uti Archiepiſcopus, vel Cardinalis, tunc Miſſale ad magis dignum deferatur oſculandum: Si verò ibi ſint plures Prælati æquales, & nullus aliis Dignior; nullis defertur oſculandum Miſſale, nec illud oſculatur Celebrans; *Cęrem. Epiſc.*. Dicto *Agnus Dei*, Miniſter genuflexus utroque genu a dextris Celebrantis, tenet inſtrumentum pacis elevatum ſupra Altare, & finita Oratione *Domine Jeſu &c.* Celebrans oſculatur Altare, & poſtmodum ambabus manibus tenens inſtrumentum pacis, quod ei porrigitur a ſupradicto Miniſtro genuflexo, illud oſculatur, dicens, *Pax tecum*; Miniſter adhuc genuflexus reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*; moxque ſe erigens, facit genuflexionem Sacramento unico genu, & abſtergit inſtrumentum ſiniſtra manu in ea parte, quam oſculatus eſt Sacerdos, velo ex manubrio pendente, & illud prębet deinde oſculandum Pręlato ſine ulla inclinatione, quo oſculato ei genuflectit unico genu. Si ibi ſit Prelatus aliquis dignior Epiſcopo, dictum pacis inſtrumentum deoſculandum defertur ad illum, & poſtea ſucceſſivè ad minus dignum: Si omnes ſint æquales, dari poſſet oſculandum illi, qui primum occupat locum, vel qui vicinior eſt Altari, & deindè aliis ſucceſſivè. Et ad-

advertendum eſt, quod ſi plures fuerint Prelati, poſt uniuſcujuſque oſculum, unicuique ſit reverentia, & poſt reverentiam ſtatim abſtergitur inſtrumentum. Ad finem Miſſæ Celebrans dicit more ſolito, *Benedicat vos. Omnipotens Deus*, ſed priuſquam Populo benedicat, ad Prelatum converſus, profunde ei ſe inclinat, quaſi ab eo licentiam benedicendi petens; qua inclinatione facta benedicit circumſtantibus ex parte Evangelii (ſi Prelatus eſt in medio, vel ex parte Epiſtolæ) dicens de more; *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*: quare Celebrans ſemper advertat, ne benedicat ex illa parte, ubi eſt Prelatus: (dummodo tamen dictus Prælatus audiat Miſſam in loco ſue Juriſdictionis). Poſt Benedictionem Celebrans dicit de more Evangelium, quo finito, ad Prelatum converſus ſtans in eodem cornu Evangelii, facit illi profundam reverentiam; poſtmodum expectat priuſquam diſcedat, uſque dum Prelatus ipſe diſceſſerit.

* Notandum, quod Ceremonie prædictæ Miſſæ privatæ, que celebratur coram Epiſcopo in loco ſue juriſdictionis, ſunt eedem, que ſervari debent coram Patriarcha, vel Archiepiſcopo in tota Provincia, coram Nuntio, & Legato Apoſtolico in locis ſue Legationis, & coram Cardinali ubique gentium, *Cerem. Epiſc. lib. 1. cap. 30.*

Miſſa media, que nempe cantatur ſine Miniſtris Sacris, Solemnis dici non poteſt, *ex Biſſo Verb.* Miſſa Solemnis *num.* 237. §. 2. unde in ea facienda erit Commemoratio Simplicis, ſi Feſtum, de quo celebratur Miſſa ſit Secundæ Claſſis: nam talis Commemoratio in Duplicibus Secunde Claſſis omittitur ſolum in Miſſa Solemni, qualis

iſta cenſenda non eſt, quia non cantatur cum Miniſtris Sacris, ſed cum duobus ſolis Acolytis, & aliquando cum uno tantum, quam ſententiam tenuit etiam Benedictus XIII. in ſuis Opuſculis variis de Miſſa cantanda a Celebrante ſine Miniſtris Sacris, *cap.* 4. §. 2. Si igitur hęc Miſſa media cum duobus Acolytis cantanda ſit, dum Celebrans facit Confeſſionem, hi genuflexi manent hinc inde reſpondentes Celebranti, ſicut Diaconus, & Subdiaconus in Miſſa Solemni; ſed advertat Celebrans nè dum dicit *Vobis fratres*, *Vos fratres*, & *Miſereatur Veſtri*, caput inclinet Acolytis, ut Diacono, & Subdiacono. Prædicti Acolyti aſſiſtunt Celebranti dum dicit Introitum, & Orationes tantum; (non enim aſcendunt ad Altare, ut cum Celebrante dicant Hymnum Angelicum) & circa finem ultimę Orationis, ſi plures dicendę ſint, primus ex dictis Acolytis capit librum de Credentia, & cantat Epiſtolam eo ritu, quo Subdiaconus in Miſſa Solemni; qua tamen finita non oſculatur manum Celebrantis, ſed facta debita genuflexione, librum reportat ad Credentiam, & redit ad locum ſuum, ſcilicet in plano in cornu Epiſtolę; & finito *Graduali* defert Miſſale ad latus Evangelii. Notandum, quod licet in Miſſa Cantata cum duobus Acolytis communiter excludatur thurificatio ante Introitum, attamen Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap* 2. Polaccus *Aphoriſm. part.* 2. *tit.* 3. Corſett *part.* 2. *cap.* 13. a Portu *cap.* 2. & Benedictus XIII. ſupra laudatus tenent, quod ſi videbitur poterit adhiberi incenſatio ad Evangelium, ad Offertorium; & ad Elevationem SS. Sacramenti; Unde ſi ad Evangelium Incenſum

ſum adhibeatur, miniſtrari debet a dictis Acolytis antequam dicatur a Celebrante *Munda cor meum*: quo poſtea dicto, Celebrans pergit ad cornu Evangelii, & accepto Thuribulo a primo Acolyto ter incenſat librum, & cantat ipſe Evangelium ſtans converſus ad librum obliquè poſitum, ut in Miſſa privata, quo finito, ter incenſatur a primo Acolyto ſtante in parte laterali graduum Altaris in plano cum alio Acolyto a ſiniſtris. Celebrans deinde Miſſam proſequitur miniſtrantibus iiſdem Acolytis, qui tamen numquam aſcendere debent ad Altare ut Calicem diſcooperiant, aut cooperiant, vinum in Calicem infundant &c. ſed tantum ut ampullas Miniſtrent, & Incenſum pro thurificatione Oblatorum, & librum ex una parte ad aliam deferant.

Miſſa Votiva ea eſt, quæ non convenit cum Officio diei, nec ab Eccleſia prçſcribitur dicenda, ſed dicitur a Sacerdote juxta ipſius votum, ſeu voluntatem, puta de Trinitate, de Spiritu Sancto, de B. M. (quç tamen aliquando dicenda prçſcribitur, nempè in duobus prioribus Sabbatis Adventus, in quibus dicitur pro principali etiamſi non dicatur Officium de B. M., ſed feriale). de Angelis &c., ut dicemus infra.

Miſſæ Votivæ ſunt triplicis generis. Primi generis ſunt illç, quç dicuntur de aliquo Sancto, vel Solemnitate, de qua per Anni circulum dies Feſtus celebratur. Ex Communi Auctorum ſententia dici poſſunt hç Miſſç Votivç de Sanctis etiam non deſcriptis in Kalendario, dummodo conſtet ex Martyrologio de eorum Canonizatione, nam *ex Rubrica* dici poſſunt Miſſæ Votivç de San-

ctis abſque ulla exceptione.

Miſſę Votivę ſecundi generis, ſunt illę, quæ habentur in Miſſali Romano poſt Commune Sanctorum, & Dedicationis Eccleſię, & ſunt octo ſingulis diebus per hebdomadam aſſignatę, ſcilicet: Fer. 2. de SS. Trinitate; Fer. 3. de Angelis; Fer. 4. de Apoſtolis; Fer. 5. de Spiritu Sancto, vel de SS. Sacramento; Fer. 6. de S. Cruce, vel de Paſſione; Sabbato de B. Maria V. quę octo Miſſæ Votivę dici poſſunt loco Miſſę Conventualis in diebus Ferialibus juxta diſpoſitionem Rubricæ, *de Miſſis Votivis num.* 3. Et in Fer. 2. poteſt etiam dici Miſſa Defunctorum, loco Miſſę Votivę de SS. Trinitate.

Miſſę Votivæ tertii generis quatuordecim ſunt, ſcilicet, Pro eligendo Summo Pontifice, & alię ordine, quo in fine Miſſalis habentur.

Miſſæ Votivæ dici non poſſunt in Duplicibus, & Dominicis diebus, niſi Solemniter pro re gravi, ut infra ad verb. *Miſſa Votiva Solemnis*. Item *ex Decr. S. R. C.* 28. *Aug.* 1627. prohibentur in diebus, in quibus non poteſt fieri de Feſto Duplici. Et *ex Decr.* 21. *Jul.* 1670. prohibentur infra Octavam Corporis Chriſti, & Nativitatis Domini 25. *Sept.* 1706. Inſuper ex ejuſdem S. R. C. Decreto 19. *Aug.* 1651. prohibentur in Vigilia Pentecoſtes, & 10. *Dec.* 1718. in Vigilia Epiphaniæ. Ex Votivis tamen tertii generis Prima, quę eſt de Electione, ſecunda, quæ eſt de Coronatione, & Creatione Summi Pontificis, celebrari poſſunt etiam in Dominicis, & aliis Feſtivis diebus, ut tradit *Caſtald. lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4. ex *Gavanto*. Et ex Praxi Baſilicarum Urbis unica tantum Miſſa Solemnis de Electione, vel

Cre-

Creatione Summi Pontificis cantanda eſt poſt Conventualem , dicta Nona ; non verò omnes etiam privatę, ut vult *Turrinus* , dicendæ ſunt . Decima quarta item , quæ eſt pro Sponſo , & Sponſa , his prę ſentibus poteſt celebrari qualibet die , exceptis diebus Dominicis , & aliis Feſtis de præcepto, *Gavant. ex Rubr.* ; Verum *Halden part.* 3. *tit.* 7. cenſet Rubricam per verbum *Feſti* non tantum excludere Feſta de Pręcepto, ſed omnia ſimul Duplicia. Si igitur Benedictio Nuptiarum facienda ſit die Dominico (vel , ut ſentit *Halden* , in quovis Feſto Duplici) tunc *juxta Rubr. Miſſal. & Rit. Rom.* dicitur Miſſa de Dominica , vel Feſto cum *Gloria* , *& Credo* , ſi illa Miſſa id requirat, in Paramentis coloris Dominicæ, vel Feſto convenientis , cum Commemoratione tamen Miſſę pro Sponſo, & Sponſa , ac reliquis , quę pro eorum Communione , & complemento Benedictionis habentur in Miſſali: & in fine dicitur Evangelium S. Joannis .

* Quid de Hymno Angelico in Miſſis Votivis, de Orationibus, & Credo V. *Gloria in excel.* , *Orationes* , *& Symbolum* .

Miſſa Votiva Solemnis pro re gravi , vel pro publica Eccleſię cauſa decantari poteſt etiam in Duplicibus, & Feſtivis diebus , dummodo non ſint ex Solemnioribus , ut intra dicemus . Res autem hæc gravis, ſeu publica Eccleſię cauſa , *ex Lohner. part.* 4. *tit.* 2. (quod Decreto etiam eſt conſonum a *S. R. C.* edito *die* 19 *Maii* 1607.) ea eſt, pro qua totus Clerus cum Epiſcopo (ubi reperitur) convenire ſolet; ut ſi votum pro malo gravi avertendo factum ſit exolvendum; aut gratię pro accepto aliquo magno beneficio Solemni-

lemniter ſint agendæ ; aut cum præcatio Quadraginta Horarum inſtituta ſit : Item ſi pro acquirendo gravi , & publico beneficio , vel avertendo malo, quod rationabiliter timetur, ſupplicetur . Ex quibus colligitur , non quamlibet cauſam gravem , vel publicam ſufficere ad hoc, ut Miſſa Votiva Solemnis cum *Gloria*, & *Credo* dici poſſit ; ſed eam, quę concernit vel per ſe, vel per accidens notabiliter Communitatem, vel ſaltem notabilem ejus partem : Item Perſonam Regis, Principis, aut etiam Filii unigeniti Familię illuſtris, ex quorum conſervatione publica evenire poteſt utilitas; Hęc omnia tradit etiam *Hagerer*. Pro hujuſmodi igitur *re gravi* , vel *publica cauſa* decantari poteſt Miſſa Votiva Solemnis cum *Gloria* , & *Credo* [niſi dicenda ſit in Paramentis violaceis] etiam in Dominicis, & Feſtis diebus , dummodo non ſint Dominicę, vel Feſta primę claſſis , *ex Gavant. Diana*, *Lobner* , *Arnaud. &c.* Verum ex diſpoſitione contenta in Inſtructione Clementis XI. pro Expoſitione SS. Sacramenti, quę incipit Italicè. *Eſſendo ſtate fatte &c.* §. 10. inferunt communiter recentiores, non poſſe celebrari Miſſam Solemnem Votivam pro re gravi in diebus Primæ, & Secundæ Claſſis: Ex dicta igitur Inſtructione prohibentur Miſſę Votivę Solemnes in Dominicis etiam Secundę Claſſis, diebuſque omnibus, quibus Officium ſit Duplex primę, vel ſecundæ claſſis; Item in Feria 4. Cinerum, in tota majori Hebdomada , in omnibus diebus infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes, in Vigiliis Nativitatis Domini , & Pentecoſtes , & in die Octava Epiphanię ; Quibus diebus ſi de Miſſa Votiva Solemni

SS.

SS. Sacramenti expoſiti ſermo ſit, cantetur (ex dicta inſtructione) Miſſa Conventualis cum Oratione SS. Sacram. ſub unica concluſione. Et notandum, quod quando celebrantur extra prędictos dies Miſſæ Votivę Solemnes, debent cantari regulariter poſt Nonam; non pretermiſſa ſcilicet Miſſa Conventuali poſt Tertiam.

Miſſæ certis Regularibus tantum conceſſę, non poſſunt dici ab aliis Sacerdotibus celebrantibus in ipſorum Regularibus Eccleſiis, in quibus de aliquo ſpeciali Feſto agitur; ſed dici debent Miſſę de Feſto cum Miſſali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi; *ex Decr. S. R. C.* 20. *Nov.* 1628. A prædictis tamen regulis excipiuntur Miſſę propriæ de S. Thereſia Virg. de S. Benedicto, & de Sanctis Ordinis S. Franciſci Minorum Conventualium, quę dici poſſunt ab omnibus Sacerdotibus Sęcularibus, & Regularibus confluentibus ad Eccleſias Ordinis Carmelitarum, S. Benedicti, & S. Franciſci Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, prout jacent in eorum Miſſalibus, ex Decretis Benedicti Papę XIII. 16. *Jan.* 1726. & SS. D. N. Clementis Papæ XIV. feliciter Regnantis 11. *Aug.* 1770.

Miſſa pro Defunctis quibus diebus celebrari poſſit, & quando pro Principali, ſeu Conventuali dicatur V. *Rubricam* 5. *de Miſſis Defunct. num.* 1. *&* 2. Sed congruum eſt hoc loco exhibere nonnulla S. R. C. Decreta declarantia quibus diebus poſſint, vel non poſſint celebrari Miſſę privatę, vel cantatæ de *Requiem*. In Dominicis, & Feſtis poteſt celebrari Miſſa (*unica Solemni*) de Requie pro Defunctis inſepulto Cadavere. *S. R. C.* 23. *Maii* 1603. Prohibetur autem unica etiam Miſſa So-

lemnis præſente Corpore inſepulto in die Nativitatis Domini , Epiphanię , in Dominica Paſchæ tantum , in die Aſcenſionis , in Dominica Penteconſtes tantum , in die Corporis Chriſti , Aſſumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum , in ultimo triduo majoris Hebdomadę , in Feſto Patroni loci , Titularis Eccleſię , & Dedicationis ejuſdem , in qua Cadaver eſt expoſitum , atque ubi patenter, publicè adoratur Venerabile Sacramentum. *Eadem S. R. C.* 22. *Mart.* 1744.

Miſſę Defunctorum in die Depoſitionis Defuncti (*intellige non pręſente Cadavere*) poſſunt ſolemniter celebrari in diebus, in quibus cadit Feſtum Duplex alicujus Sancti , dummodo Feſtum non ſit de præcepto , juxta Rubr. Brev. Rom. *S. R. C.* 19. *Sept.* 1654. In diebus , in quibus non poteſt fieri de Feſto Duplici, prohibentur Miſſę *de Requiem* , nimirum infra Octavas Epiphanię , Paſchatis , & Pentecoſtes , in Feria 4. Cinerum , in Hebdomada majori , in Vigiliis Nativitatis Domini , & Pentecoſtes. *S. R. C.* 28. *Aug.* 1627. Prohibentur Miſſæ Privatæ Defunctorum in Feſto Duplici, (*etiam pręſente Cadavere ex alio S. R. C. Decreto* 10. *Jun.* 1693.) Quod ſi ex Benefactorum pręſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandę incidant in Feſtum Duplex , tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam , ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de Feſto currenti cum applicatione Sacrificii , juxtà mentem eorumdem Benefactorum &c. *S. R. C.* approbante Alexandro VII. 5. *Aug.* 1662.

Miſſę *de Requiem* tam privatę, quam Solemnes in die Anniverſaria, 3. 7. & 30. prohibentur in Vi-

gi-

gilia Nativitatis, Epiphaniç Domini, ac Pentecoſtes, in Feria 4. Cinerum, & in tota majori Hebdomada, infra Octavas privilegiatas, ſcilicet Nativitatis, & Epiphaniæ Domini, Paſchę, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, & ubi publicè expoſitum eſt SS. Sacramentum. *S. R. C.* 28. *Aug.* 1627. *&* 5. *Julii* 1698.

Miſſæ Solemnes Defunctorum in die Anniverſaria relictæ ex diſpoſitione Teſtatoris, & in die 3. 7. & 30. a die Depoſitionis, cantari poſſunt in Feſto Duplici Majori. Si verò celebrari non poſſunt propter Dominicam, aut Feſtum de Pręcepto, aut Duplex 1. & 2. Claſſis, cantari poſſunt in die ſubſequenti ſeu antecedenti (*ſed conſultius eſt pręvenire*) cum eadem Solemnitate, ac iiſdem Orationibus. *S. R. C.* 23. *Maii* 1603. *&* 4. *Maii* 1686. Et ſi Anniverſarium (*vel* 3. 7. *&* 30. *dies*) anticipetur, aut poſt poſtponatur poſt aliquos dies (*ut ſi caderet in Dominica Palmarum, tunc enim transferenda eſſet talis Miſſa ad Feriam* 2. *poſt Dominicam in Albis*) poteſt dici Miſſa ut in Anniverſario *S. R C.* 5. *Jul.* 1698. In die Anniverſarii, & Depoſitionis non poteſt cantari Miſſa Defunctorum loco Conventualis *S. R. C.* 5. *Jan.* 1698.

Miſſę de Feſto Duplici celebratę in Altari pro Animabus perpetuo Privilegiato, & in quo proinde etiam in Duplicibus ſint celebrandę Miſſę *de Requiem* ex obligatione, ſuffragantur, ac ſi celebratę fuiſſent pro Defunctis juxta formam privilegiorum &c. *Alexander VII.* 22. *Jan.* 1667. Quod Decretum extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum privilegiata, ut declaravit S. R. C. approbante Clemente IX. 23. *Sept.* 1669. Et licet

hęc

hęc Decreta de Feſtis Duplicibus tantum loquantur, intelligenda tamen ſunt etiam de Dominicis, de diebus infra Octavas Paſchatis &c. aliiſque quibus Miſſæ Defunctorum juxtà Ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt. Sacerdotes habentes Officium Semiduplex, Simplex, aut Feriale, ſi celebrent in aliqua Eccleſia, in qua fiat de Duplici, non poſſunt dicere Miſſam *de Requiem S. R. C.* 11. *Jun.* 1701. Regulares in alienis Eccleſiis, in quibus celebrant Miſſam Votivam, vel *de Requiem*, ad ſatisfaciendum oneribus; poſſunt & ipſi eaſdem ibi Miſſas celebrare; quamvis in ſuis Eccleſiis occurrat Feſtum, aut Officium duplex *S. R. C.* 2. *Jun.* 1701.

Miſſę etiam pro Animabus Purgatorii non poſſunt celebrari una hora poſt Meridiem; *S.R.C.* 24. *Nov.* 1663

* Cum primum habita fuerit certa notitia de obitu alicujus perſonę, cantari poterit Miſſa *de Requiem* (*ut in die obitus*) in Feſto Duplici etiam majori, quod non ſit de pręcepto. *S. R. C.* 4. *Maii* 1686.

* In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum; in die Depoſitionis; & Anniverſario Defuncti, nec non die 3. 7. & 30. & quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur, dicitur una tantum Oratio, exceptis tamen Miſſis Solemnibus, Defunctorum, quę dicuntur in die prima Menſis non impedita, & Feria 2. dum Miſſa Principalis fit pro Defunctis. In Miſſis verò Quotidianis privatis tres dicuntur Orationes, quę ſunt in Miſſali aſſignatę. Sed notandum quod quando Miſſa applicatur generaliter pro Defunctis, regulariter dicuntur illę Orationes, quę in Miſsali pro Miſsis Quotidianis poſitę ſunt; Verum ſi Miſsa cę-

celebretur pro aliqua, vel pro aliquibus determinatis perſonis, primo loco dicitur Oratio pro iis, pro quibus Miſsa celebratur, ſecunda, & tertia, quę ſecundo, & tertio loco ponuntur in Miſsa Quotidiana Defunctorum, *Lobner part.* 4. *tit* 3. §. 2 *num.* 4. Sacerdos tamen Celebrans poterit ſecundo loco pro Oratione *Deus venię largitor &c.* aliam ſubrogare v. gr. pro Patre, & Matre &c. dummodo ultimo loco dicatur *Fidelium*, ex Decr. *S. R. C.* 2. *Sept.* 1741.

* In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, ſi alicubi occurrat Officium Duplex minus, Miſſæ ſunt celebrandæ *de Requiem juxta Decretum* 5. *Octobris* 1686. *&* 19. *Jun.* 1700. niſi tamen ſpecialem ſolemnitatem præſeferat Officium illud propter Inſignes Reliquias in particulari Eccleſia aſſervatas; tunc enim *ex Decr. S. R. C.* 12. *Jul.* 1716. prædictum Feſtum transferendum eſt ad primam diem non impeditam.

Miſſa ut in die obitus præſente Corpore, ultra Miſſam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum *S. R. C.* 14. *Apr.* 1646. In die obitus Summi Pontificis, Cardinalis, Epiſcopi, (& ſimplicis etiam Sacerdotis, *ex Biſſo lit. M. n.* 243. §. 3.) dicitur ea Miſsa, quę prima habetur in Miſsali inter Miſsas Defunctorum. Sequentia, ſive *Dies iræ &c.* dicitur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & Depoſitionis Defuncti, & quandocumque in Miſsa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Miſſis pro Defunctis dicitur ad arbitrium Sacerdotis. Quis Auctor incertum eſt, ſed V. *Sequentia*. Quę omittenda ſint in

in Miſsa Solemni, & privata Defunctorum patent ex Rubrica XIII. *De his quę omittuntur in Miſſa pro Defunct. n. 1. & 2.* Qua hora cantari debeant Miſsæ pro Defunctis *Vide Rubr.* de hora Celebrandi Miſsam XV. *num.* 3.

Miſsale aperiendum eſt a Celebrante initio Miſsę, non autem a Miniſtro, *ex Rubr.* Facta ſcilicet Cruci reverentia, procedit Celebrans ad cornu Epiſtolę manibus junctis, apertoque Miſsali poſito ſuper cuſſino, vel legili, reperit Miſsam, & ſignaculis reviſis, ea iterum ſuis locis aptat, deinde redit ad medium Altaris manibus ante pectus junctis, facit profundam Cruci reverentiam, juxta communiorem ſententiam: Et notandum, quod non debet oculos ad Crucem elevare antequam faciat reverentiam, nec deindè ibidem immorari, ut faciat aliquam orationem, vel recitet v. gr. *Actiones noſtras*, ut nonnulli gratis faciunt, quia hoc eſt contrà Rubricam, ut notant Auctores.

N A

NAtivitas D. N. J. C. *De ea in Altera hujus Dictionarii Parte.*

O B

OBlatio in primitiva Eccleſia fiebat a Populo dum Chorus poſt Symbolum Antiphonam canebat, quæ Offertorium nuncupatur; ſcilicet omnes, qui communicaturi erant offerre conſueverant da Altare panem pro ſe ipſis conſecrandum. Nunc autem hujuſmodi Oblationes (quarum uſus in Pagis dumtaxat, & Oppidulis Ruſticorum adhuc viget) non in uſum Sacrificii cadunt (pecunia enim offertur ut plurimum) ſed Parocho, vel pauperibus diſtribuuntur. Hujuſmo-

modi autem Oblationes, ſi a Populo fiant, fieri debent, ut tradit *Gavant. ex Act. Mediol. Eccl.* dicto Offertorio ante Oblationem Hoſtię. Sacerdos autem pro facienda Oblatione retrahat ſe aliquantulum a medio Altaris; nec Populo facienti Oblationem det Patenam oſculandam, quia hoc prohibuit S. Pius V. *in Epiſt. ad Archiep. Tarracon.* Poteſt tamen exhiberi Crux, ſeu alia Imago, juxta uſum Eccleſiarum; dummodo non fiat in Miſſis Defunctorum, in quibus oſcula omittuntur. Advertendum autem, quod in Oratoriis privatis non poſsunt Oblationes recipi: *Biſſus Tom.* 2. *lit. O. n.* 4. Et in fine Oblationis dari non debet Benedictio.

Octava. *De ea in Altera hujus Dictionarii Parte, etiam quoad Miſſam.*

Offertorium, ſic potiſſimum dicta eſt Antiphona illa, quę poſt Symbolum, vel poſt Evangelium dicitur in Miſſa a Sacerdote, quia cantabatur a Choro dum Populus ſua dona ad Altare offerebat, ut diximus ſupra ad verb. *Oblatio*. Quis hujus Antiphonæ Auctor fuerit incertum eſt. Plerique tamen a Gregorio Magno primò inſtitutam aſſerunt, quia in ſuo Antiphonario propriam ſingulis Miſſis aſſignavit. Hęc Antiphona antiquitus erat compoſita ad modum Reſponſorii cum ſuis verſibus, ſed poſtea ad majorem commoditatem abbreviata fuit in ſingulis Miſſis, preterquam in Miſſis Defunctorum: Ubi intellectu difficillima videri poſſunt verba illa deprecativa: *Ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*: Verum, ut obſervat *Grancolas* in antiquo Eccleſię Sacramentario *part.* 1. *de Miſſis Mortuorum pag.* 536. Et Macrius *in ſuo Hierolexico* v. *Offerto-*

torium prędicta Antiphona recitabatur olim , in actu agonis; & Eccleſia nunc dum eadem verba, & eamdem deprecationem adhibet in Miſſa pro Defunctis , retrotrahit tales preces ad momentum tranſitus , & obitus ; & conſiderat animas in eo momento , quo è corpore migrant , ac ſi ante Tribunal Judicis tunc conſtituerentur.

Orate Fratres . Dicitur a Sacerdote verſus Populum eodem Ritu, quo *Dominus vobiſcum* , ſed revertitur ad Altare a parte ejus dextera, circulum ſcilicet perficiendo, & proſequitur interim ſubmiſſa voce : *Ut meum , ac veſtrum Sacrificium &c.* quibus dictis , & non prius, Miniſter genuflexus reſpondet *Suſcipiat &c.*

Orationes. *De iis (etiam quoad Miſſam) in Altera hujus Dictionarii Parte ad verb.* Orationes.

Oratorium Publicum, & Privatum. *De iis in Altera Dictionarii Parte ad verb.* Titularis Eccleſię, & Cappellę.

Oſculum Libri Evangelii , Altaris, Pacis, manuum Celebrantes , & rerum , quæ eidem Celebranti traduntur . Vide in Miſſa Solemni.

P A

PAlla, qua tegitur Calix ex Lino debet eſſe, quia Syndonem Chriſti repręſentat ; ſed hoc intelligendum dę inferiori parte ; nam in ſuperiori illius Pallæ parte poteſt ſericum, & aurum addi ; ut ait *Suarez* 3. *part. diſp.* 81. *ſect.* 6. Hęc Palla, ut diximus ad verb. *Corporale*, erat olim pars ipſius Corporalis ſuper Calicem revoluta: Ideoque non benedicitur ſeparatim a Corporali. Sunt qui duplicem adhibent Pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hoſtia, ſed *Paſqualigum* adeatur, qui *De Sacrificio Miſſę quęſt.* 793.

u-

uſum alterius Pallæ ſub Hoſtia, qui apud Clericos Regulares preſertim viget, haud improbat. Fragmenta enim ſuper ipſa remanent, & facilius colligi poſſunt, & in Calicem immitti.

Palmarum Benedictio. *V. Dominica Palmarum*.

Particulæ conſecrande. *Vide Hoſtia*.

Paſcha: nomen videtur ex Hebreo, & Græco verbo compoſitum, Hebraicè enim ſignificat tranſitum, Grece autem Paſſionem: & revera in Paſſione Chriſti cum ipſo & nos tranſivimus de morte, ad vitam: ita *Auguſt. cit. a Durand. lib. 6. cap.* 86. Paſcha celebratur ſemper in Dominica ex auctoritate S. Petri; *apud Baron. ann.* 58. *n.* 82. & Victor Romanæ Eccleſie Pontifex, ſecundo labente Seculo congregavit in Urbe Synodum, in qua ſancitum eſt, non decima quarta Luna primi Menſis, ideſt *Niſan*, qui nobis eſt Martius; ſed Dominica, poſt Lunam decimam quartam occurrente, Paſcha eſſe celebrandum juxta SS. Petri, & Pauli traditionem; ut ſcribit *Euſebius lib.* 5. *cap.* 23.

Paſſio; *Vide Dominica Palmarum*.

Patena, quæ a Grecis *Diſcus* appellatur; a patendo eſt dicta vel quia patula eſt, *ex Walfrid. cap.* 24. vel quia diſpanſis, patentibuſque oris ſit, *ex Iſid. lib.* 20.

Patene, quæ antiquitus pro Fidelium Communione deſerviebant, [pro Pyxide enim tunc temporis adhibebantur Patene] Miniſteriales vocabantur; & quia tunc omnes in Miſsa communicabant, tam ample adhibebantur, ut *ex Damaſo in Vita S. Silveſtri* ponderis eſsent quindecim, vel etiam triginta librarum. Nunc autem quia pauci in Miſsa communicant, & ſi multi

Py-

Pyxis adhibetur, minor eſt Patena, quę Hoſtiam tantum pro Celebrante, & paucas aliquando Particulas continere debet.

Patena in Miſsa ad Offertorium tractari primum occurrit, quando, ſcilicet, Celebrans Hoſtiam offert, quæ eſt ſuper eam; pro cujus Oblationis Ritu hæc ſunt advertenda: Quod amoto velo a Calice, & plicato ſive a Clerico, ſive a Celebrante (magis autem decet a Clerico pręſertim ſi miniſtret cum cotta), ipſemet Sacerdos poſita manu ſiniſtra ſuper Altare, extra Corporale, manu dextera accipit Calicem, quem a cornu Epiſtolæ ſiſtit extra Corporale: deinde ſtans adhuc in medio Altaris, amovet parvam pallam, quę eſt ſuper Hoſtiam: quam pallam deponit ſuper Corporale verſus cornu Epiſtolæ: poſtea ſola manu dextera inter pollicem, & indicem, & medium digitum, accipit de Calice Patenam cum Hoſtia, cui occurrens dum eſt propè medium Altaris ſiniſtra manu, eam ambabus manibus tenet (ideſt iiſdem tribus digitis, *ut ſupra*, etiam ſiniſtrę manus) elevatam ſuper medium Corporalis ad altitudinem pectoris; ita tamen, ut aliquantulum ab ipſo pectore diſtet: (nec eam elevare debet, ut faciunt multi, ante faciem ſuam) atque eodem tempore oculis ad Deum, hoc eſt ad Crucifixi Imaginem, elevatis, ac ſtatim demiſſis, dicit: *Suſcipe Sancte Pater*; Quo dicto, Hoſtiam deponit in medio Corporalis in parte ejus anteriori, facta prius Cruce cum Patena, Ritu ad verb. *Calix* tradito de Cruce facienda cum ipſo Calice. Patena poſtmodum ponitur a parte Epiſtolę ſuper Altare, aliquantulum ſubtus Corporale, quæ exterſo Calice

coo-

cooperitur purificatorio, ut diximus ad verb. *Calix*.

Dicta a Sacerdote Oratione Dominica, & reſponſo a Miniſtro, *Sed libera nos a malo*, & a Celebrante, ſubmiſsa voce, *Amen*; debet ipſe Celebrans Patenam extergere purificatorio, ſe ſignare cum ipſa, eamque oſculari, & Hoſtię ſubmittere Ritu a Rubrica pręſcripto. Sed notandum, quod purificatorium pro abſtergenda Patena, quæ erat ſubtus Corporali, debet Celebrans accipere digitis medio, & indice pollici unito, per extremitates illius, quę reſpiciunt Candelabra; & purificatorium ipſum poſtea deponere in ea a Corporali diſtantia, ut Calix poſt digitorum ablutionem collocari poſtea poſſit inter ipſum purificatorium, & Corporale: deinde Patenam elevet, eam tenendo inter indicem unitum pollici, & medium, & ita, ut pars ejus interior, & inaurata reſpiciat Hoſtiam, ejuſque extremitas, ſive ora tangat tobaleam, non verò Corporale, ut plerique tenent Auctores. Siniſtrà autem manus, dum hęc dextera peraguntur ſuper Corporale tenenda eſt; Sed dum Sacerdos (antequam dicat *Da propitius pacem*) ſe ſignat cum Patena, manum ſiniſtram infra pectus ponit; quo ſigno Crucis facto (quod integre fieri debet a fronte, ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dexterum, *ex Decr. S. R. C.* 13. *Martii* 1627.) deoſculatur Patenam in parte ſuperiori anterioris faciei: numquam enim debet oſculari in illa parte, per quam tranſitura eſt, ſeu in qua collocari debet Hoſtia Conſecrata, *Tonell. lib.* 2. *tit.* 10. & alii. Dicendo autem illa verba: *Ut ope miſericordię tuę adjuti*;

Sacerdos ſubmittit Patenam Hoſtię, indice ſiniſtrę manus eam accomodando : collocat tamen Patenam in medio Corporalis , ita, ut pars ſuperior Patenę ſit elevata ſuper pedem Calicis ad hoc, ut commodius capiatur , & prçcipuè ut fragmenta, ſi quę ſunt ſuper Corporali, colligantur, & non adhęreant ejuſdem Patenę partibus externis. Auctores communiter.

* Quid de Patena in reliquis Miſsæ partibus, dictum eſt jam ad verb. *Calix* , & *Hoſtia*,

Pater noſter. Oratio Dominica quę ab Apoſtolis ipſis uſurpata fuit in Miſsa: imò, *ex Gregor. lib.* 7. *Epiſt.* 63. non conſtabat Miſsa , Apoſtolorum temporibus, aliis partibus , quàm Conſecratione, & Oratione Dominica ; atque *Hieronym. lib.* 3. *adv. Pelag.* ait „ Chriſtum Dominum docuiſse Apoſtolos, ut quotidie in Corporis ejus Sacrificio audeant loqui , *Pater noſter &c.*

* Pręſcribit Rubrica, quod cum Sacerdos dicit *Oremus*, ante Prefationem *Prçceptis &c.* jungat manus caput Sacramento inclinans ; ſed notandum cum *Gavant.* quod Sacerdos , dicto *Oremus*, ſtatim caput erigere debet ad *Præceptis ſalutaribus &c.* quod dicit manibus junctis , quas deinde extendit ad *Pater noſter*.

Patronus . *Vide* Titularis : *In Altera Dictionarii Parte*.

Pax quo Ritu danda ſit in Miſsa Solemni, *V. Miſſa Solemnis*.

Pentecoſtes vox ex duobus Græcis vocabulis compoſita, quę Latinè ſonat Quinque decem ; ideſt dies Quinquageſimus a die Paſchatis, qui numerus dierum ſumitur ab ipſo die Paſchatis , nimirum, cum Hebręis a Prima Sabbati Paſchę Azymorum ,

quę

quę nobis Dominica fuit Reſurrectionis, ut egregiè notat *Rupert. lib.* 10. *cap.* 12.

Planeta, Sacerdotale indumentum, de cujus etymologia, & antiquitate ſapienter tractat *Joſeph Vicecomes vol.* 4, quod eſt *De Miſſę apparatu lib.* 2. *cap.* 27. Formam antiquę Planetæ, (quę *Caſula*, quaſi parva Caſa, *&* *Pęnula* etiam vocabatur) optimè deſcribit *Card. Bona lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 24. §. 8. dicendo; quod Planetę antiquæ rotundę prorſus erant, totum ambientes hominem a collo uſque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: qua de cauſa, ut Sacerdotes operari, & manibus liberè uti poſsent, neceſsarium erat eas Planetas ſuper brachia revolvere, & complicare; atque ad Hoſtię, & Calicis Elevationem Diaconus Sacrificio miniſtrans, extremam hujus Planetæ oram elevabat, ut defluentis in Sacerdotis brachia, manuſque oneris pondus alleviaretur, undę Hoſtiam, & Calicem ipſe Sacerdos elevare commodè poſset: qui uſus adhuc perſeverat; tametsì ceſsante cauſa, ſuperflua ſit talis praxis, ut advertunt *Card. Bona ſupra*, & *Andreas Du Sauſſay lib.* 6. *Panopl. Sacerd. cap.* 1. *&* 2. cum enim ad evitandum incommodum proveniens ex amplitudine talis formę, Planetę a lateribus paulatim ſcindi, & decurtari cepiſsent, eo tandem devenerunt, ut Planeta, quæ hodie eſt in uſu adeo deciſa eſt, ut vix quoad utrumque latus infra humeros dependeat; & adeo decurtata, ut vix ultra genua protendatur.

Planetæ plicatę, quibus nonnullis diebus, ut infra dicemus, utebantur, & nunc etiam uruntur,

Diaconus, & Subdiaconus Miſſæ Solemni miniſtrantes, eędem erant antiquitus, ac Planetæ ſupra deſcriptæ totum ambientes hominem, & involventes a collo uſque ad pedes; ſed quia magno erant impedimento Miniſtris, & præſertim Diacono, cujus pręcipuę partes ſunt Presbytero inſervire in Miſſę Sacrificio: hinc factum eſt, ut Planetę Miniſtrorum a parte anteriori complicarentur, ut expeditiores eſſent ad miniſtrandum, quę Planetarum complicatio adhuc fit, quamvis non amplius neceſſaria, ob ſciſſionem Planetarum a lateribus introductam, ut dictum eſt. Subdiaconus olim quando legere debebat Epiſtolam, ſuam deponebat Planetam, quia forte Pulpiti, ſeu Ambonis aſcenſum ei impediebat, quam poſtea, cantata Epiſtola, reſumebat. Diaconus ſimiliter quando cantare debebat Evangelium, ſuam deponebat Planetam. Sed ne hoc munus ſine habitu obiret, Planetam ipſam ad modum Stolę plicatam ſuper humerum ſiniſtrum ducebat, ut colligitur ex Ord. Rom. XIV. inter evulgatos a Mabillonio, in quo *num.* 54. ſtatuitur, ut Diaconus *quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponat Planetam, & Acolyti decenter eam complicent, & imponant ſuper ſiniſtrum humerum ejus, ac ſub dextero brachio ligent eam, ut melius poterunt; ita quod ab humero ſiniſtro deſcendat ad latus dexterum, ſicut Diaconalis Stola deſcendit; & hoc modo Diaconus Planetam teneat dum legit Evangelium, & uſquequò dicatur ultima Oratio poſt Communionem*. Hinc manifeſtè apparet, quod Stola, quam latiorem appellamus, quaque ad Evangelium, & ad reliquam Miſſę partem uſque ad

Poſt-

Poſtcommunionem utitur Diaconus, Planetę ſic plicatę locum occupavit.

Planetis Plicatis Diaconus, & Subdiaconus uti debent in majoribus Eccleſiis, Dominicis, & Feriis Adventus, excepta Dominica tertia cum ſua Hebdomada, quando reſumenda ſit Miſſa Dominicæ: Item Dominicis, & Feriis Quadrageſimæ, excepta Dominica quarta (non autem ejus Hebdomada, quia numquam reſumitur Miſſa *Lętare* de Dominica, cum Ferię illę Miſſas habeant proprias): diebus prœterea jejuniorum Planetę plicatę adhibentur, exceptis Vigiliis Sanctorum, Vigilia Nativitatis Domini, Fer. V. in Cęna Domini, ac Feriæ Quatuor Temporum Pentecoſtes.

Pluviale, ut *ex Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 227. obſervat *Gavantus*, idem eſt ac Cappa: Cappa etenim proceſſu temporum auctoritate Superiorum ad meliorem formam redacta, & mutato caputio in ornamentum a tergo pendens, inter veſtes Sacras retenta eſt ſub antiquo nomine Pluvialis, habitus nempe, contra pluvias, quo in Proceſſionibus extra Eccleſiam utebantur, caput tegendo ipſius caputio, cum plueret. Noſtris etiam temporibus, inquam, habitus hujuſmodi, Pluviale communiter vocatur, ſeu Caſula proceſſoria. Pluviali autem utitur Celebrans in Proceſſionibus, Benedictionibus, & aliis Functionibus, ut conſtat *ex Rubr. XIX. de qualitate Paramentorum n.* 3. Quo deficiente, ſtat ſine Planeta cum Alba, & Stola, & ſemper ſine Manipulo; numquam enim extra Miſſam Manipulus adhibetur a Celebrante.

Prętatio, ſeu Prælocutio ante Canonem, Originem habet ab Ęcclęſię primordiis.

Prefationes autem dicuntur ut in Ordine Miſſæ adnotatum eſt . Et quę in Quadrageſima, tempore Paſſionis , & Paſchali , & infra Octavas aſſignantur ; dicuntur etiam in Dominicis , & Feſtis, quę illis temporibus celebrantur ; niſi illa Feſta propriam Prefationem habeant ; *Rubrica XII. num.* 2.

* Occurrente Feria aliqua privilegiata in Feſto habente Prefationem propriam, in Miſſa de Feria, quę in Cathedralibus, & Collegiatis cantari debet, Prefatio communis dicenda eſt, ſicuti etiam in Miſſa Feriæ IV Quatuor Temporum occurrentis in Octava Nativit. B. M. V. ita *S. R. C.* 12. *Dec.* 1626. Quod idem dicendum eſt de Miſſa Vigilię S. Joannis Bapt. ſeu Apoſtolorum infra Octavam Corporis Chriſti, ſeu in die Octava . Occurrente autem aliqua Feria majori infra aliquam Octavam in die in qua fit Officium de Octava, ut die 14. Dec. in qua fit Officium de 7. die infra Octavam Conceptionis occurrente Feria Quatuor Temporum , Miſſa tam Conventualis, quam omnes alię privatę (unica enim preſcribitur Conventualis , & hęc de Feria , ut ad verb. *Octava*) dici debent de dicta Feria, cum Commemoratione Octavæ, & cum Præfatione de B. M. V. E contrà verò in die Octava, cum duę Conventuales cantandæ ſint, (ſi in Feria Quatuor Temporum inciderit) in Miſſa de Feria , in qua nulla fit Commemoratio Octavæ , Præfatio communis dicenda eſt . Quod in ſimilibus ſervandum eſt.

* In Miſſis Votivis tam Privatis, quam Solemniter cantatis pro re gravi , quę propriam habent Præfationem , dicitur ſemper propria Prefatio ; ſi

ſi verò non habeant Prefationem propriam, dicitur Præfatio communis, vel de tempore, nempe vel Quadrageſimali, vel Paſſionis, vel Paſchalis; vel de Octava, infra quam contigerit Miſſas Votivas celebrari: & ſi infra aliquam Octavam celebrandæ eſſent, quę Prefationem, & *Communicantes* habeat propria, *V. Communicantes*.

* Qui in Sabbato recitat Officium B. M. V. volens celebrare Miſſam Votivam de Sancto, non debet dicere Præfationem B. M. V. ſed Communem *S. R. C.* 2. *Decemb.* 1684.

* Demum ſingulis Dominicis diebus totius anni, quibus Prefationes proprię per Rubricas non ſunt aſſignatæ, Sacerdotes omnes Prefationem de SS. Trinitate in Miſſa recitare tenentur. *S R. C.* 3. *Jan.* 1759.

Proceſſio, quaſi Progreſſio, procedendo in publicum, *Durand. lib.* 2. *cap.* 10. cujus origo vel a Purificatione B. M. V. cum Joſepho, Simeone, & Anna, vel certius ex Hiſtoria Evangelica a Turbis in die Palmarum ſumenda eſt. Proceſſiones alię ſunt ordinariæ, ut in Feſto Purificationis, in Dominica Palmarum, in Litaniis Majoribus, & Minoribus, de quibus in propriis locis, & in Feſto Corporis Chriſti. Alię extraordinariæ, quę auctoritate Epiſcoporum fieri ſolent. In omnibus autem Proceſſionibus, præfertur Crux cum Luminibus, quorum Auctorem faciunt *Socrates*, & *Sozomenus* S. Joannem Chryſoſtomum.

Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti. *De hac in Altera hujus Dictionarii Parte.*

Prophetię in Sabbato Sancto. *V. Sabbatum Sanctum.*

Pulpitum, vocabatur olim etiam Lectorium, Analogium, atque Ambo. Lectorium, nempe, & Analogi-

gium, ideſt ſuper quo legitur, *Iſid. lib. 5. Orig.* Ambo autem a Gręco verbo *Ambano*, hoc eſt aſcendo, unde per *Ambonem* locum altum ſignificatur. Olim in eo legebatur Evangelium, qui mos in nonnullis Eccleſiis adhuc viget, ut diximus ab verb. *Evangelium*. Regulariter tamen Pulpitum hodie extat in Eccleſiis pro Concionatoribus.

Purificatio B. M. V. *De hac in Altera Diction. Parte.*

Pyxis, ſive Ciborium, (ut eam appellavit *S. Leo*, & *Chryſoſtomus Hom. 42. in Act. Apoſt.*) a cibo, quem continet, ex eadem materia eſt, ac Calix; intus quidem inaurata, & loco pallę cooperiri debet proprio operculo, quod habeat in ſummitate parvam Crucem: *Biſſus lit. S. n. 20.* cooperienda tamen eſt velo, & quidem pretioſo, taliterque elaborato, ut ipſi Pyxidi benè aptetur. *Idem Biſſus lit. V. n. 16.*

* Si poſt peractam Fidelium Communionem intra Miſſam nulla remanſerit Particula in Pyxide, Sacerdos purificet Pyxidem ipſam ab omni fragmento, faciens illud cadere indice manus dexterę in Calicem: deinde vinum infundat, & circumagat intra eamdem Pyxidem, quo tandem in Calicem infuſo, interiorem Pyxidis partem abſtergat undequaque purificatorio. Quid de Pyxide in Particularum Conſecrandarum Oblatione, Conſecratione &c. *V. Hoſtia*. Quid in Communione Fidelium, *V. Communio Fidelium*.

Q U

Quadrageſimæ Jejunium Apoſtolica traditionē ſervari *S. Hieronymus Epiſt. 54.* ad Marcellam. & *S. Leo Serm. 43. de Quadrag.* teſtantur. Sed *V. Dominica I. Quadrag.*

Quatuor Temporum Jejunium ab Apoſtolica Inſtitu-

tutione emanare compertum eſt, ut adſtruunt *S. Leo Serm.* 8. *de. Jej.* 10. *Menſis*, *& S. Iſid. Hiſpal. in lib. de Off. cap.* 37. *&* 38. Calliſtus autem Rom. Pontifex Decreto ſuo Jejunii hujus firmavit uſum, ac Quatuor Jejunorum Tempora diſtinxit. Sicuti ergo quatuor ſunt Anni partes, ita in eiſdem fiat per Jejunium purgatio, Hieme, Vere, Eſtate, Autumno: & ſicut tres Menſes quęque Anni pars habet, ita tres dies Jejunii ſiut ad ratam trium Menſium: *Ord. Rom.* & *Berno de quibuſd. ad Miſſ. ſpect. cap.* 7. Et benè Feria IV. in qua factum eſt Concilium contra Chriſtum; *Idem ibidem*: vel quia traditus eo die fuit Chriſtus: *Ruper. lib.* 3. *cap.* 5. Fer. verò VI. quia Crucifixus; Sabbato deinde propter triſtitiam Apoſtolorum mortuo Chriſto. *Ex Innoc. in Decretal.*

* Si in Ferias Quatuor Temporum incidat Feſtum Duplex, vel Semiduplex, aut dies Octava alicujus Feſti, Miſſa dicitur de Feſto, aut de Octava cum Commemoratione, & ultimo Evangelio de Feria. Occurrente autem hujuſmodi Feria in die infra aliquam Octavam, quid de Miſſa, *vide* Octava: *in Altera Diction. Parte*.

Quatuor Tempora Pentecoſtes Feſtivum habent Jejunium, non enim dicitur *Flectamus genua* in Miſſa, ratione temporis adhuc Paſchalis, nec Chorus genuflectit ad Orationes; & ſi occurrat Feſtum aliquod Simplex, fit de eo Commemoratio in Miſſa, ſed omittenda eſt tunc tertia Oratio *Eccleſię*, vel pro Papa, *ut ad verb.* Orationes, *in Altera Parte*. In hoc Sabbato Quatuor Temporum omittitur Canticum trium Puerorum poſt V. Lectionem, quia, ut ait *Gavant.*, di-

dicitur ſtatim Hymnus Angelicus nobilior Hymno trium Puerorum; & ne duo Hymni immediatè cantentur a Choro.

R E

Reliquię, & Imagines Sanctorum in Altari hinc, inde diſpoſitę quo Ritu incenſandæ ſint *V. Miſſa Solemnis*. Sed notandum, quod *ex Decr. S. R. C. 21. Mart.* 1744. non eſt de neceſſitate in ſculptis Sanctorum Imaginibus in Altari diſpoſitis Sacras includere Reliquias ad hoc, ut incenſata Cruce, valeant illę a Celebrante thurificari.

Requieſcant in pace. In Miſſis Defunctorum ſemper dicitur in plurali numero, licet pro uno dicatur Miſſa

Rogationes. *V. Litanię Majores, & Minores*.

S A

Sabbatum Sanctum. *De hoc in Altera Diction. Parte.*

Sanctus &c. Hymnus Triſagion, quo Præfatio Miſſæ concluditur, deſumptus eſt partim *ab Iſaia* 6. partim *ab Evang. Matthęi* 2. in quo Trinitas adoratur in unitate, & benedicitur Incarnatio Verbi, quod venit in nomine Domini. Dum autem Sacerdos dicit *Sanctus*, inclinatus manere debet inclinatione media, manibus junctis ante pectus, non verò ſuper Altare poſitis: & dicturus *Benedictus qui venit*, debet ſe erigere, ut diximus *ad verb. Benedictus qui &c.*

Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima, ſunt Dominicę, quę *ex Rupert. Abb. lib. 4. cap. 2.* ſic vocantur ratione Hebdomadarum uſque ad quartam Dominicam Quadrageſimę, quæ dicitur *Lętare*, & eſt Paradiſi propria quędam Imago. Septuageſima nempè dicenda eſt, quia per ſeptem Hebdomadas ad illam *Lętare* pervenitur; Sexageſima quia per ſex; Quinquageſima

quia

quia per quinque; Quadrageſima, quia per quatuor. Ordo Romanus autem a numero dierum Septuageſimam definit quaſi curſum ſeptuaginta dierum uſque ad Sabbatum in Albis, cujus Miſſa incipit: *Eduxit Dominus Populum*; Sexageſimam quaſi curſum ſexaginta dierum uſque ad Feriam quartam Paſchę, cujus Miſſa incipit: *Venite Benedicti*. Quinquageſimam verò quaſi curſum quinquaginta dierum uſque ad diem Paſchę. Ad imitationem facile Gręcorum, ut ait *Grancolas*, (qui cum non jejunarent Feria V. neque Sabbato, neque Dominicâ, ut hos tres dies reſtituerent anticipabant Quadrageſimam tribus Hebdomadis, & a Septuageſima Quadrageſimę exordium ducebant, ut refert *Ratramnus lib. 4. contra Gręc. cap. 4.*) invecta eſt Romę Septuageſima, ſaltem in Officio, & Miſſa, ſublatis lętitiæ ſignis ut in Quadrageſima; nempe *Gloria in excelſis*, & *Alleluja* cujus loco dicitur Tractus, etiam in Feſtis infra Hebdomadam occurrentibus, non autem in Feriis, in quibus reſumitur Miſſa Dominicæ præcedentis, in iis enim dicitur Graduale tantum.

Sequentia dicitur poſt *Alleluja* in aliquibus Solemnitatibus, & appellatur Jubilatio *ab Ordin. Rom.* eſt enim Canticum lętitię, quod pulchrè jungitur cum vocibus *Alleluja* ad explicandam Paradiſi lætitiam in effabilem in Solemnioribus Feſtis, ut in Paſchate, Pentecoſtes, in Feſto Corporis Chriſti, &c. vocatur autem Sequentia, quia per ancus amęnitatem ad ſequentia præparat; *Hugo Vict. de Off. Eccl. cap. 19.* Hinc eſt, quod *Dies irę* in Miſſis Defunctorum impropriè dicitur Sequentia; quia hęc Miſſa nec *Alleluja*, nec Sequen-

quentiam debet habere, quę ſunt Cantica lætitię. Nam Sequentia neumati poſt *Alleluja* addito ſuffecta eſt: Neumata autem ſunt diſtinctiones, ut vocant Muſici notę illæ, quę in fine prædictæ vocis *Alleluja* prolixè decantantur. Quibus autem Auctoribus referendę ſint Sequentię, quę dicuntur in variis Solemnitatibus, incertum eſt. Varii varia tradunt: videantur igitur *Card. Bona lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Biſſus *lit. S. n.* 186. Grancolas *de ant. Liturg. pag.* 511. Marcell. de Cavalleriis *in Stat. Sacr. tit.* 12. & Ant. Bellotte *in ſuis obſerv. pag.* 413.

Stola eſt Veſtis Sacra non lata, cujus uſus Sacerdotibus, ac Diaconis conceſſus, Subdiaconis interdictus eſt. *Binius in Conc. Laodic. ſub. Silveſtro cap.* 12. *tom.* 1. *part.* 1. dicitur Stola *in Ord. Rom.* a Gręco *Stolè*, ideſt indumentum, vel a *Stello*, ideſt orno. Vocatur etiam Orarium *in Ord. Rom.* quia Oratorum, hoc eſt Prædicatorum habitus eſt *ex Alcuino*: quare non datur, niſi Presbyteris, & Diaconibus, quorum tantum munus proprium eſt concionandi. Ex Beda vero dicitur Orarium ab Oratione; quia in Oratione, & miniſterio Sacramentorum frequens eſt Stolæ uſus.

Stola verò una cum Alba, in modum Crucis ante pectus geſtari debet a Sacerdote; quod ſi adhibeatur cum ſuperpelliceo, ſoluta pendebit a collo hinc inde, quia cum cingulo ligari in modum Crucis non poteſt. A Diacono autem geſtari debet a ſiniſtro humero, ad latus dexterum. Stolam tandem in Miſſa omnino adhibendam eſſe decrevit *Concilium Bracar.* 3. *cap.* 3. De Stola latiori Diaconali diximus ad verb. *Planeta*.

Sub-

Subdiaconi munera V. ad verb. *Epiſtola*, *Evangelium*, & pręcipuè vide *Miſſa Solemnis*.

Symbolum triplex eſt : Primum Apoſtolorum, ab ipſis ſcilicet Apoſtolis conditum, quo ſolo velut teſſera fidei noſtræ uſa eſt Eccleſia uſque ad tempora Nicęni Concilii. Secundum eſt ab ipſa Synodo Nicęna compoſitum contra hæreſim Arianam: Tertium denique eſt Conſtantinopolitanum, a Synodo I. Conſtantinopolitana vulgatum adverſum Macedonii errores, quod in paucis a Nicęno differt, & hoc recitatur in Miſſa cum additione: *Filioque procedit*, facta in Conc. Toletan. ſub Leone I. *ex Baron. ann.* 447. ſeu probabilius, ut ait *Durand. lib.* 2. *cap.* 24. in Concil. Rom. a Damaſo. Quibus autem diebus dicendum ſit Symbolum in Miſſa, patet, *ex Rubrica de Symbolo*. Nonnulla tamen addenda ſunt Feſta Sanctorum, quibus nuperrimè a S. R. C. conceſſum fuit Officium, & Miſſam de Communi Doctorum, ſcilicet; SS. Anſelmi, Iſidori, Petri Chryſologi, & Leonis Magni.

* Cum autem *ex Rubrica ſuprac.* dici poſſit *Credo* in Miſſa ubi habetur Corpus, vel Inſignis Reliquia illius Sancti, de quo agitur: advertendum eſt cum *Gavanto*, *&* *Biſſo*, quod quęcumque pars Corporis non eſt cenſenda ſufficiens Reliquia, ut in Miſſa dicatur *Credo*; ſed debet eſſe talis entitatis, ut Officium poſſit fieri Duplex; Quod videre eſt ex ſequenti S. R. C. declaratione: ait enim: Quod Reliquia inſignis ſit: *Caput*, *Brachium*, *Crus*, *aut illa pars Corporis*, *in qua paſſus eſt Martyr*, *modo ſit integra*, *&* *non parva*, *&* *legitimè ab Ordinario approbata*. Non eſt igitur inſignis Reliquia cenſenda (ut ad-

advertit *Quarti part. 1. tit. 11. dub. 3.*) Manus, Pes, aut aliud fruſtum, niſi in dictis partibus paſſus ſit Martyr. Et notandum eſt, quod non poteſt celebrari Feſtum de prædicta inſigni Reliquia, niſi in Eccleſia ubi aſſervatur, & non alibi, ut liquet ex Decretis S. R. C. Breviario Romano prefixis: Quod ſi contingat ex aliquo privilegio extra dictam Eccleſiam celebrari Feſtum ejuſdem Reliquię, tunc in Miſſa non poteſt dici *Credo*. *Ex Decr. S. R. C.* 2. *Dec.* 1684.

* Eccleſia autem triplici ex cauſa, ut optimè *Guyetus* obſervat, *lib.* 3. *cap.* 28. *quęſt.* 3. Symbolum in certis Feſtis recitare conſuevit: ratione Myſterii, ut contingit in omnibus Feſtis Chriſti Domini, & B. M. V. horum enim Myſteria, vel implicitè, vel explicite in Symbolo continentur: ratione doctrinæ fidei, non tam ſuſceptę, ac propugnatę, quàm verbo, ſcriptoque traditę, atque annuntiatę; qua de cauſa dicitur in Feſtis Apoſtolorum, ac Doctorum: tandem ratione Celebritatis dicitur in Feſtis Patronorum, & aliis propriis locorum, ſeu Eccleſiarum.

T I

Titularis Eccleſię, vel Cappellę. *De hoc in Altera hujus Dictionarii Parte.*

Tractus dicitur poſt Graduale loco *Alleluja* a Septuageſima uſque ad Paſcha, & dicitur ſemper in Miſſis Votivis, etiam iis diebus, in quibus non dicitur in Miſſa Ferię: *Lohner part.* 4. *tit.* 2. §. 3. *n.* 4.

Tunicella eſt Veſtis Subdiaconi, quę olim a Dalmatica Diaconali differebat; hęc enim erat amplior, ejuſque manicæ longius protendebantur; hodie verò Tunicella, & Dalmatica ejuſdem prorſus ſunt formę. Subdiaconus autem ſemper u-